



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Theologia Polemica**

**Burghaber, Adam**

**Fribvrgi Helvetiorvm, 1678**

Peccata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72462](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72462)

timebant, se cum eodem interrogantes: *Quid faciam, cum surrexerit ad iudicandum Dominus? & cum quaesierit, quid respondebo illi?* Job, c. 31. v. 14. & 23. Secundo repugnat SS. Patribus, praesertim D. Augustino L. de corrept. & gratia c. 13. ubi ait: *quis ex multitudine Fidelium, quamdiu in hac mortalitate vivitur, in numero praedestinatorum se esse praesumat? quia id occultari opus est in hoc loco, ubi sic cavenda est elatio, ut etiam per Satanae angelum tantus colaphizetur Apostolus.* His aureis & clarissimis verbis, quibus S. Pater hanc praesumptuosam securitatem prostravit, consentit Hieronymus in illud cit. Ecclesiastae 9. nemo scit, utrum odio &c. hic, inquit, est sensus. *Inveni iustorum opera in manu Dei esse, & tamen, utrum amentur à DEO, an non, nunc eos scire non posse; & in ambiguo iudicare, utrum ad probationem sustineant, quae sustinent: an ad supplicium: in futuro igitur scient &c.* Idem D. Gregorius hom. 28. in Evangel. non pessimè, ut impudenter calumniatur Calvin. L. 3. Inst. c. 24. §. 8. sed optimè tradidit apens, *vocationis tantum nostrae conscios nos esse: & electionis incertos; Nam etiam si quales hoc die simus, sciamus, quales tamen simus futuri, nescimus.* Tertiò repugnat rationi. Tum quia praedestinatorio & reprobativo spectant ad occulta DEI consilia soli DEO cognita; *quis enim consultarius ejus fuit?* Ad Rom. 11. v. 14. Tum quia nemo scit se esse in gratia, ut diximus Controv. 55. multò minùs, se esse perseveraturum in gratia, ut eundem diximus Controv. 56. §. 5. & 9. Tum quia ex Sectarijs nonnulli subinde vel ad Catholicam fidem convertuntur, vel ad manifestam impietatem deficiunt. Quomodo ergo prius certitudinem praedestinationis suae habuerunt? Tum quia promissiones DEI, quae in Evangelio habentur, varijs sunt affectae conditionibus, ut mox dicemus. Itaque

LIV. Respond. ad Fundamentum. Ad primum locum, intelligi hunc universim de ijs, qui vivà fide credunt in nomine Filij Dei, si tamen in hac fide perseveraverint usque ad mortem, ut bene explicat D. Thomas eundem text. Sed cum hac scientia & certitudine universali ac conditionatà consistit ignorantia & incertitudo particularis, an hic vel ille habeat aut habiturus sit talem fidem vivam cum perseverantia conjunctam. Ad secundum, istum locum intelligendum vel de morali quadam certitudine, non tamen absque omni formidine, quam certitudinem moralem concessimus cum viris doctis §. 26. & indicat S. Bernard. Sermon. 2. in Octav. Paschae: vel de absolutà etiam & firma certitudine respectu eorum, qui habuerunt specialem revelationem de sua praedestinatione, atque ita intelligit hunc locum S. August. L. de grat. & Lib. arb. apens, *Paulum loqui de se ipso & alijs, quibus sua praedestinatio divinitus innotuit.* Ad tertium, hoc testimonium spectare ad omnes justos adultos; quibus etsi Spiritus per internum solatium & illustrationem mentis subinde testimonium reddat, quod sint filij DEI, ac proinde secundum praesentem saltem justitiam haeredes regni, non tamen praestet ea res infallibilem certitudinem; non quod testimonium Spiritus S. incertum sit, sed quod ipsi infallibiliter non sciant, testimonium seu inspirationem illam à Spiritu S. esse, cum & Satanas transformare se solet in Angelum lucis; unde etiam probare jubemur Spiritus, si ex DEO sint. Interim concesserim, probari ex illo loco justos saepe habere conjecturalem quandam, aut

etiam quasi moralem certitudinem de sua salutè, cui tamen subesse possit falsum. Videri de hoc potest Tanner Tom. 2. D. 6. q. 4. dub. 5. Ad quartum, constare ex verbis adductis S. Gregorij, scilicet posse nos quidem esse conscios vocationis nostrae, non autem electionis & glorificationis; Nunquid enim ipsius Christi testimonio multi sunt vocati, pauci verò electi Matth. 20. v. 17. Unde Amesius palpabile commisit mendacium, idque geminum; 1. Apostolum citatis verbis tam calè docere, efficaciter vocatos scire se secundum propositum DEI vocatos: ac si solis radio scripsisset: alterum, Bellarminum non esse ausum negare efficaciter vocatos fuisse secundum propositum vocatos, atque idcirco glorificandos, cum istud Cardinalis tanquam haeresin rejiciat. videri ipse potest L. 3. de Justif. c. 14. & 15. à Lutharano & Calviniani! *ò seducte columbe Ephraim! Osee 7. v. 11.* Timorem Domini revocate ab exilio, quò eum Seductores vestri Lutherus, Calvinus &c. suavi hoc dementiae fascino fugavère; aut malè vobis erit in extremis. Nam non nisi *Timentum Dominum bene erit in extremis*, Siracide teste, c. 1. v. 13. qui autem *sine timore est; non poterit justificari.* ibid. v. 28. nec igitur glorificari, & coronà Salutis beatificari.

## PECCATA.

*Uemadmodum apud Praedestinos ex hac vita discedentes bona opera reperiuntur, quibus destinatum sibi à DEO gloriam veluti Coronam adipiscuntur, ita & apud Reprobos in fine vita peccata mortalia inveniuntur, propter quae à Beatitudine arcentur, & in ignem aeternum discedere jubentur. Cum igitur de bonis operibus supra egerimus, nunc de Peccatis aliquid subjungemus, cum haeretici in his quoque asserendis à veritate Catholica aberrant.*

## CONTROVERS. LX.

### DE PECCATO ORIGINALI.

**P**eccatum juxta Aristotelem & S. Thomam est triplex Naturae, Artis, & Moris. De hoc postremo & theologico inpraesenti controversitur; quod peccatum in genere definitur potest, Forma denominas Naturam intellectualem DEO displicentem, inducensque reatum alicujus pœnae. Dividitur in Originale, & Personale: & hoc iterum in Actuale, & Habituale.

## PARS PRIOR.

### DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. Peccatum Originale vocatur defectus ille, qui derivatur in posteros ab Adamo primo omnium parente. Dicitur Originale; quia in prima

Ddd origines

origine seu conceptione contrahitur. Et constans ac consentiens est in Ecclesia Romano catholica doctrina, omnes naturā suā sic esse (absque speciali privilegio) filios iræ, ut verè aliquod peccatum generatione contrahant.

*Doctrina prima.* Datur peccatum originale verè hominem DEO exosum reddens, & ab æternā beatitudine, nisi expietur excludens: idque reperitur in posteris omnibus naturali generatione ab Adamo descendētib; nisi exceptio aliqua specialis probari possit. Est omnium Catholicorum, & de fide certa. Pro hac veritate quinque textus ex veteri: totidem ex Novō Testamento adducit Valentia Tom. 2. q. 6. d. ii. punct. i. nobis unus aut alter sufficiat. Genes. 17. v. 14. dicitur: *Masculus, cuius praputij caro præcisā non fuerit* (septuaginta Interpretes vertunt infans, qui octavo die circumcisus non fuerit) *delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit*; quod testimoniū videtur præ cæteris clarum; cum enim parvuli distantiam boni & mali ignorent; ut ipse DEUS Deuter. 1. v. 39. testatur, ideoque propriā voluntate peccatum nullum committere possint, sensus esse nequit, perituras animas puerorum illorum, quod ipsi propriā voluntate præceptum commissionis violaverint, sed quia illo remedio circumcisionis destituti peccato originali inquinati manent: & quia in Adam, in quō teste Apostolo omnes peccaverunt, DEI pactum & testamentum dissipaverunt; uti interpretatur S. Augustinus L. 16. de civit. DEI c. 27. Huic valde congruit illud Osee c. 6. v. 7. *ipsi autem* (id est Posteri Adæ) *sicut Adam transgressi sunt pactum, ibi* (id est in Paradiso, ut D. Hieronymus exponit) *prevaricati sunt in me.* Luculentum etiam testimoniū est illud Pauli ad Rom. 5. v. 12. *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit: & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* ubi Apostolum velle, omnes nos esse peccatores naturā, non solum imitatione, ex ipsōmet constat ad Ephes. 2. v. 3. ubi ait: *nos esse naturā filios iræ.* Probat 2. ex Autoritate Concil. Milevit. Araus. Florentini & plurium aliorum, atque ipsius denique Tridentini Sess. 5. can. 2. his verbis: *si quis Adæ prævaricationem sibi soli, & non ejus propagini asserit nocuisse, & acceptam à DEO sanctitatem & iustitiam, quam perdidit, sibi & non etiam nobis perdidisse: aut inquinatam illam per inobedientiam peccatum mentem & panas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem & peccatum, quod mors est anima, anathema sit.* Probat 3. ex SS. Patribus. S. Augustinus de peccatorum meritis & remiss. l. 10. manifestum est, inquit, alia esse cuiq; propria peccata, in quibus tantum peccant, quorum peccata sunt: aliud hoc vnum, in quo omnes peccaverunt, in quo omnes illi unus homo fuerunt. Hoc ipsum S. Pater sæpius alibi repetit, scilicet quod Parvuli fuerint unus homo cum Adamo, & sic in illo peccaverunt. S. Basiliius hom. de Laud jejuniij ait: *quia non jejunavimus in primo parente, ideo exulamus à paradiso.* S. Ambrosius de fide resurret. scribit: *Lapsus sum in Adam, ejectus de Paradiso, mortuus in Adam.* Similia habent alij P. P. Probat 4. ex perpetuo Ecclesiæ usu. Ad quid enim alioquin in veteri Testamento circumcisionis: in novo baptismi infantibus moribundis conferendi tanta fuisset sollicitudo, si infantes in natiuitate nullam peccati labem per hæc remedia eluendam contraxerunt?

*II. Doctrina secunda.* Peccatum Originale est verum & propriè dictum peccatum. Est itidem certum ex Sac. Scriptura Patribus & Concilijs, specialim ex Tridentino Sess. 5. c. 5. ubi definitur, *in baptismo tolli totum id, quod veram & propriam rationem peccati habet.* Unde reprehenditur Durandus, tanquam minus cautè locutus, dum peccatum actuale magis propriè peccatum dixit, quàm originale, ita ut originale ad actuale relatum nõ habeat propriam rationem culpæ. Ovideo tamen in 1. 2. Tract. 6. c. 9. puncto 7. n. 7. fatetur, peccatum originale inter mortalia minimum esse propter imperfectionem voluntarij, cum à voluntate posterorum procedat tantum moraliter, non physice, sicut peccata mortalia personalia &c. Cæterum difficile intellectu, quomodo nos una cum Adamo peccaverimus; cum eo tempore nondum in natura rei fuerimus: Item quare nobis peccatum illius imputetur, cum nihil de eo sciverimus; qui autem de peccato nihil scit, quomodo consentit? Pro determinatione sit.

*III. Doctrina tertia.* Peccavimus in Adamo, quatenus ipse tanquam Caput totius generis humani omnium nostrum personam sustinuit, & eā ratione præceptum à DEO accepit, abstinendi fructibus certæ arboris, ut si servaret, non ipse modò, sed etiam omnes posteri (nullo horum interveniente peccato personali) gratiæ & gloriæ compotes forent: si verò transgredeteretur, non solum ipse, sed etiam posteri ejus gratiæ exciderent. In quo pacto nulla est injuria. Nam homines idem observant in Fendis, quæ Parentibus eo pacto conceduntur, ut si fideles permanferint, non solum ipsi, sed etiam Filij & Nepotes eorum in perpetuum feudo fruuntur: si verò infidelitatem commiserint, tam ipsi, quàm posteri eorum feudo excidant; quæ est quasi donatio conditionata: hoc tibi do pro te, & posteris tuis eā conditione, ut te mihi fidelem exhibeas, quā conditione violatā donum redit ad donatorem sine ullā injuria posterorum, quibus nihil debebatur. Ita Deus gratiam & gloriam suam voluit donare Adamo & Posteris ejus omnibus, si unicam legem abstinentiæ servaret; quia verò transgressus est, nos una cum illo diēta bona perdidimus. Quod si nos homines unanimi consensu Adamum nostro loco constituissemus, ut quicquid ille faceret, nos ratum haberemus; certè illius peccatum nobis meritò imputaretur nõsque in illo seu per illum peccavissemus. Atqui Deus potestatem habuit, illum sine nostro consensu quasi Vicarium generalem totius generis humani constituendi, sicuti Magistratus pupillis ratione carentibus constituit Tutores, & horum gesta illis imputantur. Hoc vel simile quasi implicitum pactum intervenisse Deum inter & primum hominem, confirmat Autoritas non solum S. Augustini. L. 16. de Civit. c. 27. & S. Hierony. in c. 6. osee plurimūque gravissimorum Theologorum, quos nominatim allegat Tanner Tom. 2. D. 4. de peccatis. q. 7. n. 16. Sed ratio ipsa & necessitas ad hoc concedendum urget. Nam ex una parte Fides & Scriptura ad Rom. 5. cit. & alibi docent, omnes nos in Adamo peccasse: ex alia verò parte ad hanc peccati transfusionem non sufficit, Adamum esse principium naturale & parentem omnium (alias & ipsius & proximorum etiam parentum nostrorum omnia peccata ad nos trahent) necesse igitur omnino fuit, aliquod ejusmodi paulò ante delictum

prum pactum vel decretum divinum accessisse, quo voluntates filiorum in voluntate parentis transfunderentur, & vi cuius deinde Adæ obedientia aut prævaricatio ad omnes posteros pertineret. Neque hæc transfusio voluntatum Adami Antecedenter ad casum eventualem poterat non esse operabilis, & expediens generi humano; quippe Adamus immediate à DEO accepit optimam corporis animique dispositionem, unde probabilissima reddebarur observantia legis: posteros autem relinqui oportuit communi providentiæ, adeoque sæpe defectuosæ, ex quo nequivit ea probabilitas ac spes legis observandæ affulgere, quæ affulsit ex alligacione voluntatum ipsorum arbitrio & electioni Adami. Quia verò pactum ex parte Adami non fuit arbitrarium, sed necessarium, & sic à rigore pacti deficit, idcirco non fuisset necessaria illius decreti divini manifestatio, quamvis de facto manifestatum fuisse, minimè dubitetur, ut inde Adamus speciale motivum servandi illud præceptum haberet. Videri potest P. Martinus Elparza Tom. 1. Theolog. Scholasticæ Lib. 5. Quæst. 6. Ubi hæc pluribus explanat.

IV. Contra istud pactum inter DEUM & Adamum opponit se Cornelius Jansenius tom. 2. L. 1. de statu Naturæ lapsæ c. 5. & sequent. column. 207. ubi sic scribit: *Recentiores pleriq; ex eo, quod originale peccatum sit primi parentis voluntate voluntarium, occasionem sumpserunt excogitandi nescio cuius pacti, quo DEUS omnes posterorum voluntates in primi parentis voluntate collocaverit, ita ut quemadmodum ejus futura esset voluntas omnium in transfundenda iusticia, ita etiam prævaricatio ejus omnium censeatur; quod nihil ab Augustini mente alienius &c. Fundamentum, quò nititur, indicat L. 1. cit. c. 12. column. 228. ajens: pactum hoc assignere non est aliud, quam purgare parentes, & culpam DEUM, qui peccatores propria voluntate constituit. Hinc est, quod nec Augustino, nec ulli veterum usque ad tempora Scholasticorum illius pacti venerit in mentem. Sed hæc opinio, quæ est etiam Lutheri in psal. 50. ad verba illa: in iniquitatibus conceptus sum, & Calvinii Lib. 2. Institut. c. 1. §. 8. & 9. planè adversatur Sac. Scripturæ Gen. 2. v. 17. in quocunq; die comederis ex eo, morte morieris. Et ad Coloss. 2. v. 14. delens, quod adversum nos erat chirographum decreti, assignens illud cruci; nempe Adamus & se & nos veluti chirographo dato adeoque aliquo pacto morti, scaderet, obligarat. Unde Chrysost. hom. 6. in cit. locum ad Coloss. quodnam, inquit, chirographum Author intelligit? quod ad Moysen (populus Israeliticus) dixerat, quæcunq; dixerit DEUS, faciemus: aut id, quod fecerat ad Adam dicens, quocunq; die comederis ex hoc ligno, morte morieris. Et Theophilactus in prædictum locum ad Coloss. chirographum autem intelligimus vel confessionem, quam populus Israeliticus scripsit, cum diceret ad Moysen: omnia qua dixerit DEUS, faciemus, vel sedus, quod pepigit Dominus cum Adam: quocunq; die comederis, morieris. Omitto alia Scripturæ & PP. testimonia Anastasij de Incarnat. Verbi initio. Anselmi de concept. Virgin. c. 7. Ruperti L. 5. in genes. c. 33. ubi brevissimè dicit: *primus homo pactum DEI in paradiso prævaricatus est. & aliorum. Ratio etiam convincit, quia secluso tali decreto. Teu pacto ex ipsa rei natura nullum ex Adamo, quantumvis divinæ legis violatæ reo, peccatum ad posteros pervenire potuisset, ut pluribus explicat Tanner Q. 7. cit. n. 16. Ad fundamentum respond,**

nec purgari parentes, nec DEUM culpam. Quia illi liberrimè peccarunt, cum potuissent & debuissent non peccare, sed obedientiam DEO præstare abundantibus ad hoc medijs instructi: Iste verò non culpatur, quia nulla injusticia intervenit, tum ob æquitatem pactionis æquali felicitatis & infelicitatis sorti expositæ, tum ob præcepti levitatem, nullamque erga homines obligationem. Aut DEO supremo omnium Domino non licuit, quod licet homini v. g. Principi in similem modum cum Subditis pacisci, ut supra jam diximus. D. Augustino istud pactum nunquam in mentem venisse, apertæ falsitatis convincunt hæc ipsius verba Lib. 16. de Civit. Dei c. 27. in illud Genes. 17. v. 18. quia pactum meum Irritum fecit: *refert ad pactum cum Adamo mirum, & dicit, nulla appellatur testimonia DEI, exceptis illis magnis Vetere & Novo. Testamentum autem primum; quod factum est ad hominem primum, profectò illud est: Quo die ederis, morte morieris. Credo autem non ignorare Jansenium, Testamentum & Pactum Scripturæ phrasi eadem esse: atque ita pactum cum Adamo initum & in Augustino repertum Augustino non repugnare. Similiter nulli veterum usque ad tempora Scholasticorum pactum illud in mentem venisse, apertæ falsitatis arguunt adducta SS. Patrum testimonia. Quodsi nonnulli Doctores negarint prædictum pactum; negarunt solum propriè dictum pactum inter DEUM & Adamum, & exigens utriusque pacifcentis consensum; in quem modum Scotum intelligit Arriaga D. 51. num. 24.*

V. Unde constat, peccati Originalis causam esse ipsum primi parentis peccatum, cum teste Apostolo ad Rom. 5. v. 17. & 19. cit. *Unius delicta mortui sunt multi, & per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi.* Fuit autem Adam, ut diximus, causa nostri peccati non physica, sed moralis, quatenus ex ejus voluntate pendeat transfundere iusticiam in filios, DEO ita statuente. Dissentit iterum Cornelius Jansenius Tom. 2. L. 1. de statu Naturæ lapsæ column. 209. ubi ait, *peccatum originale per libidinem seu concupiscentiam tanquam veram causam transfusionis, atque ita ex natura rei propagari.* Concedimus ad translationem peccati Originalis requiri veram & carnalem ex Adamo generationem; quæ cum post ejus lapsum sine concupiscentia & ardore libidinis non fiat, sequitur quidem, illud absque ipsa hac re non trajci, atque adeo hanc illius evidens esse argumentum, non tamen veram & naturalem causam. Nec aliud ad Catholicam doctrinam à D. Augustino rectè defensam requiritur; quam aliàs vanam & falsam fore, solum Jansenius sibi imaginatur, & frustra ostendere conatur cit. Lib. cap. 11. 12. & 14.

VI. Doctrina quarta. Peccatum Originale est ipsa actualis Inobedientia Adæ, quæ præceptum non edendi de fructu arboris vitæ tanquam morale omnium nostrum Caput est transgressus, prout hæc moraliter perseverat in posteris in ordine ad reddendum nos rationabiliter DEO exosos quo modò tam diu perseverat, usque dum per condignam satisfactionem vel per condonationem deleatur. Ita in readmodum difficili probabilius sentire videntur Card. Tolerus in cap. 7. ad Rom. Card. Lugo de Incarn. D. 9. Sect. 3. n. 26. Cornel. à Lapide in eundem locum ad Rom. 5. n. 289. & 292. Granadius Contr. 6. Tract. 8. disp. 3. Sect. 1. ubi S. Thomam & plurimos alios in hunc sensum

sum interpretatur, idque merito. Nam certum apud omnes habetur, posteros in Adamo peccasse, ita ut ejus actuale peccatum ad nos suo modo pertineat, veluti peccatum nostrum; id enim expressè asserunt Sac. Scripturæ Concilia & Patres, ut videre est apud Card. Bellarm. L. 5. de Amiff. gratiæ c. 17. & sequentibus. Ex quò sic argumentari possumus. Peccatum Adæ, quòd in filiis reperitur, non est actuale, sed potius species quædam habitualis peccati. Ergo debet ipsi definitione peccati habitualis convenire. Ergo sicuti ex communi jam Doctorum sententia apud Card. de Lugo disp. 7. de pœnit. Sect. 5. Arriagam, Oviedo, & alios peccatum habituale personale consistit in eo, quod quis in propria persona actualiter peccarit; & peccatum illud tam diu moraliter perseveret, donec per gratiam condonativam remittatur, ita etiam peccatum originale habituale consistet in eo, quod quis in persona Capitis peccarit, & peccatum illud nondum sit per gratiam remissum, sed moraliter perseveret in ordine ad reddendum illum DEI inimicum. Confirmatur; quia seculis omnibus, & solo hoc posito, quod infans in Adamo verè peccaverit, & hoc peccatum moraliter perseveret, denominabitur verè peccator. Ergo in hoc consistet ratio peccati.

VII. Huic doctrinæ obitare videntur, 1. quod Concilium Tridentinum. Sess. 5. in decret. de peccat. orig. num. seu can. 2. peccatum originale vocet *mortem animæ*. 2. quod idem peccatum ex communi D. D. post S. Anselmum Lib. de concept. Virgin. nihil sit aliud, quàm nuditas justitiæ Originalis, quæ principaliter sita est in gratia sanctificante. 3. quod peccatum originale Petri aliud sit à peccato originali Pauli; cum tamen Peccatum præteritum Adæ respectu utriusque sit idem 4. si Adæ Peccatum, licet posteris extrinsecum, potest tamen illos reddere intrinsicè peccatores & inimicos Dei; cum etiam justitia & sanctitas Christi poterunt nos facere iustos & sanctos, consequens non potest dici. Ergo &c. His multi & graves Theologi persuasi fuerunt, ut essentiam peccati originalis in gratiæ privationem conjicerent verum rem planè non evincunt, ut mox patebit. Itaque ad 1. respond. peccatum originale dici à Concilio mortem animæ, non idcirco, quod consistat in privatione gratiæ, sed quod sit offensa Dei. reddatque hominem indignum gratiæ & gloriæ: dignum odio divino &c. adeoque causaliter non formaliter. Ad 2. idem originale non consistere in nuditate seu privatione justitiæ originalis habitualis, quæ præcipue importat gratiam sanctificantem; sed in privatione justitiæ originalis actualis; vel potius in ipsamet injustitiâ, hoc est, iniquitate vel inobedientia actuali Adæ, ut moraliter perseverante in posteris. Atque in hunc sensum intelligendi Scholastici, & S. Anselmus. Ad 3. peccatum Petri originale aliud esse à peccato originali Pauli physicè & inadæquatè: non autem adæquatè & moraliter. Sed nunquid peccatum Adæ jam pridem est illi condonatum? Ita est, & idcirco non amplius etiam perseverat in ordine ad reddendum Deo exosum Adamum, cui est condonatum, in quantum fuit personalis illius & propria culpa. At perseverat in ordine ad reddendos exosos ejus posteros, quibus nondum est condonatum; cum enim moralitas in uno physico actu sit multiplex, potest tolli una, & relinqui alia; ex quo apparet, tres ad minimum moralitates in hoc

Adami peccato reperiri, dum videlicet respectu posterorum est quid physicè extrinsecum, alienum, & in se unicum: moraliter tamen Intrinsicum, Proprium, & Multiplex, hoc est, in ordine ad inficiendos singulos, perinde se habens ac si physicè & quidem numero distinctum esset comissum. Ad 4. abundè constare ex ijs, quæ supra de Justitiæ, formalis & intrinsicæ diximus Contro. 57. ubi disparitatem asserimus, quæ si bene expendatur cuilibet satisfacere poterit.

VIII. *Doctrina quinta.* Omnis & solus homo, qui seminali & ordinariâ generationis viâ ab Adamo descendit, est subiectum Remotum originalis peccati, Prior huius doctrinæ pars est deinde ex Apost. ad Rom. 5. sæpe cit. v. 12. in quo omnes peccaverunt. Intellige, nisi aliquis singulari Dei benevolentia, à pacto inito, saltem quoad odiosam hujus partem fuerit, exceptus, ut eatenus, lex aut pactum illud nullâ ratione ad eum pertineret, uti mox de Beata Virgine dicemus. Posterior pars, quod ij solum, qui viâ naturali generationis ab Adamo descendunt, peccatum originale contrahant, constat ex Tridentino sess. 2. c. 3. cit. ubi apertis verbis infantes, nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascituros injustos affirmat. Proximum subiectum peccati originalis, si istud spectetur, ut moraliter nobis intrinsicum, esse ipsam substantiam Animæ, indubitatum videtur, & apertè traditur à S. Anselmo lib. de concept. Virginis; cum enim peccatum hoc traducatur origine seu generatione, illud erit subiectum ejus immediatum ac primarium, quod est primarius, & immediatus terminus generationis. Sed compositum constans corpore & animâ est immediatus terminus generationis. Ergo & subiectum peccati originalis. Atqui non est secundum corpus. Ergo secundum animam, quia licet in corpore sint effectus originalis peccati, ut rebellio carnis, aliqui motus inordinati concupiscentiæ, vera tamen ratio culpæ non nisi ad animam spectare potest; unde & infantes in limbo coinquinat. Dixi si moraliter spectetur sive secundum ea, quæ physicè & à parte rei importat, est partim in substantiâ animæ velut subiecto: partim involuntate; quia secundum actualem culpam præteritam physicè fuit in voluntate Adami, prout hæc erat moraliter nostra, At secundum negationem satisfactionis & condonationis nunc partim manet in Anima, partim in voluntate, suppositâ probabiliori sententiâ Theologorum, quam supra dedimus, quod gratia realiter à charitate differat.

IX. *Doctrina sexta.* Beatissima Virgo & Admirabilis Mater Dei Maria, non fuit concepta in peccato originali, sed ab hac labe conerahenda ex speciali Dei privilegio præservata. Probatur ex S. Scriptura Genes. 3. v. 15. *Dicit Deus ad serpentem: inimicitias ponam inter te, & mulierem, & seminem tuum, & semen illius, ipsa conteret caput tuum, & tu insidaberis calcaneo ejus.* Ubi per mulierem intelligi Beatissimam Virginem minimè dubitandum, & ideo in feminino ipsa legerunt olim S. Chrysost. hom. 27. in Genes. Ambros. de fuga sæculi. Augustinus L. de Genes. c. 10. & plerique omnes Catholici, nec repugnat textus hebraicus, qui ambiguus est ut bene ostendit Bellarminus in Controv. de verbo Dei L. 1. Unde apparet, ita olim etiam in Septuaginta lectum fuisse, cum isti Patres non sint usi alia versione; & licet nunc in recentioribus editionibus Septuaginta Interpretum habeatur

masculinum ipse, subintellige filius mulieris, tamen in idem recidit, ut bene ostendunt Tiranus alijque Interpretes. Si autem aliquando Beatissima Virgo in peccato originali fuisset concepta, non contrivisset Serpentis caput, sed potius ipsa fuisset contrita & præda illius facta. Cantic. 4. v. 7. dicitur: *totâ pulchra es amica mea; & macula non est in te.* Quem locum etiam intelligi de B. V. & non tantum de Ecclesia, est receptissimum apud Patres & doctores. Cum ergo dicatur, eam non modò totam pulchram esse, sed etiam in illa non esse maculam, sequitur planè, labem peccati originalis in illius anima locum nunquam habuisse, ut sapienter concludit Jdota in contemplat. Virg. c. 3. in Luc. 1. v. 28. *Salvatur B. V. ab Angelo, diciturque gratiâ plena &c. Atque non fuit gratiâ plena intensivè. Ergo extensivè, id est, quidquid gratiâ & privilegiorum statum B. V. decet, totum ei fuit concessum.* Si enim humani favores juxta Ueriuque juris Regulam, quantum verborum proprietas patitur, ampliandi sunt, quantò magis Dei liberalissimi ergo hanc Virginem gratiâ & favores extendendi sunt. Atqui negari non potest, decere quam maximè statum B. V. ut statim ab omni peccato immunis fuerit, ne dicamus Matrem Dei fuisse aliquando diabolo subjectam, immicam Dei &c. Ergo fatendum est, eam sine originali conceptam. Plura S. Script. loca afferunt alij, simulque varias figuras veteris testamenti Immaculatam Virginis Conceptionem præsignantes.

X. Probat 2. Authoritate Sac. Conciliorum, Patrum & Doctorum. Concilium Tridentinum Sess. 5. de peccato originali can. 2. & 4. cum de de finivisset, omnes homines ab Adamo naturaliter descendentes contrahere maculam peccati Originalis, statim subjungit Can. 5. *sue intentionis non esse sub hoc decreto Deiparam comprehendere*: Pius V. & Gregorius XIII. damnarunt in Speciali bullâ, propositiones Michaëlis Baj, inter quas 69. est hæc: *nemo præter Christum est absque peccato originali; hinc Beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adamo contractum, omnesq. eius afflictiones in hac vita, sicut & aliorum, fuerunt ultiones vel peccati actualis vel originalis; damnarunt, inquam, saltem scandalosam vel offensivam piarum aurium. Plura Concilia & Pontificum decreta referunt alij. Patres in magno numero sententiam istam tenent, sicuti videre est apud Suarez Tom. 2. in 3. P. disp. 3. sect. 5. Vasquez tom. 2. in 3. P. disp. 117. c. 3. & 4. Ferdinand. Quirinum de Salazar in. defens. Immac. Concept. c. 42. Sedecim sæcula eruditè percurrentem. Et apud Joannem Perlinum in Apologia pro magnæ Matris Immunitate ab originali peccato, & debito, totâ dist. 10. ubi fuse ostendit, ab ipsis Ecclesiæ incunabulis Patres hanc nobiscum sententiam tenere. Sufficient. hic unus aut alter: S. Hieronymus maximus Ecclesiæ Doctor ad illa verba Psal. 77. v. 14. *deduxit eos in nube diei; sic scribit: nubes est Beata virgo, quæ pulchrè dicitur nubes diei; quia non fuit in tenebris, sed semper in luce.* Ergo nunquam in peccato originali. Di Hieronymo consentit S. Augustinus unus pro mille citandus, qui L. de natura & grat. c. 36. hæc habet: *exceptâ Virgine Matre, de qua, cum de peccatis agimus, nullam prorsus habere volò questionem; inde enim scimus, quod plus gratiæ ei collatum est ad vincendum omni ex parte peccatum, quia eum concipere meruit, quem scimus nullum habuisse peccatum.* Non loqui autem S. Patrem de*

solo peccato actuali, sed etiam originali inde patet; quia ibi contra Pelagianos dicit, neminem esse sine peccato ne quidem infantem unius diei, exceptâ Virgine Matre &c. Quoad D. D. Scholasticos pleræque Religiosorum Familiæ Immaculatam Virginis Conceptionem defendunt: plurimæ item Academiæ voto ac juramento ad id obstringunt, nec prius ulli accessum ad Doctoratum Theologiæ concedunt, ac illud præstet.

X. Probat 3. Ex communi fidelium sensu. Nam incredibile dictu est, quantò sensu & animi firmitate teneant Immaculatam Virginis Conceptionem, & quali affectu in eandem ferantur tam Summi Pontifices, Cardinales, Episcopi, Prælati Ecclesiastici, & omnes DEO sacri homines, quam Imperatores, Reges, Principes, Comites, Nobiles atque omnis status sæcularis personæ Viri ac Mulieres, Juvenes & Senes. Unde sub titulo B. V. sine labe Conceptæ tot Monasteria, Congregationes, tot Tempa, Sacra Altaria, statua erectæ; & Imagines hujus mysterij vulgatæ.

XII. Probat 4. Ratione. Tum quia B. V. immunis fuit ab omni actuali peccato etiam veniali, ut cum S. Thomâ 3. P. q. 27. a. 4. omnes tenent Catholicis. Ergo etiam multò magis à peccato Originali. Tum quia B. V. communiter prædicatur, immunis à fomite peccati, à dolore partus, à fordibus puerperij, à corporis corruptione, à potestate, quam viri in uxorem exercet. &c. Quid ni ergo dicemus, eam fuisse præservatam à peccato originali? an non magis indecorum erat, quod Dei Mater subjacuerit dæmoni, quam prænis præfatis? Ita certè quisque æquior rerum arbiter censebit. Tum quia quicumque nascitur in peccato originali, verè est à DEO maledictus, Sed non decebat, B. V. fuisse sub maledictione Filij. Nam qui maledixerit patri suo, & matri, morte moriatur. Exod. 21. v. 19. Et Math. 15. v. 4. ipse Mariæ Filius hæc repetens universim jubet honorare Matrem. Cum ergo legem hanc dederit omnibus observandam, non decebat illum inhonorasse Matrem, maledixisse ipsi, & subjecisse jugo peccati & diaboli. Scilicet pulchrum hoc illi ac decorum coram Cælitibus & Angelis fuisset dicere, hanc suam esse matrem, quam illi scirent diabolo aliquando subditam, & Deo odibilem fuisse: & quam illis Reginam ac Dominam præficeret, eam olim tam immani infamiâ laborasse (nihil enim apud Angelos infamè magis, quam peccatum præsertim mortale, quolo etiam est originale) & cum illi nullâ fuissent infecti, Reginam suam eâ fuisse sædissimè deturpatam. Nec refert, quod tunc, quando fuit concepta, non esset Mater DEI. Quia ad prædictam indecentiam sufficit, quod futura esset Mater DEI. Et sicut indecens foret, si Calix & Corporalia, quæ continere debent corpus & sanguinem Christi, turpissimo alicui ministerio inservissent, sic indecens valde foret, eam, quæ futura erat DEI Mater, prius maledictam & exosam fuisse Filio. Certissimò ergo quisque Christianus, & Beatissimæ Virginis amans sibi persuadeat, divinum Filium, qui secundum Personam ante Matrem fuit, atque hanc in Genitricem sponte ac liberè elegit ac condidit, prius illam odio capitali persecutum non fuisse, ac diabolo, ut sub jugo hujus gerneret, non permisisse, & postea primum habere Matrem suam voluisse; quomodo enim

do enim sic & suæ & Matris suæ dignitati satis con-  
sulvisset? Unde eandem Beatissimam Virginem,  
quæ Mater DEI erat futura, nec pacto, quod Deus  
cum Adamo iniit, includi oportuit, ut majori-  
bus donis cumulareretur, & ad omnes operationes  
præveniretur, quàm vllus Angelus & primus  
homo. Videantur Salazar, & plures alij Autho-  
res. Item Disputatio mea theologica, cuius titulus:  
Immunitas B. V. Mariæ ab ipso etiam origina-  
lis labis contrahendæ debito, quàm Lucernæ  
anno 1672. typo vulgavi.

XIII. *Doctrina Septima.* Per originale peccatum  
privati sumus originali iustitiâ. Ita omnes Catho-  
lici, five eo nomine intelligamus dona omnia,  
quibus Adam in statu innocentie supra naturæ  
debitum ornatus fuit, ut gratiam Santificantem,  
habitus supernaturales fidei & charitatis, alia-  
rumque virtutum. Item scientiam infusam, sub-  
jectionem appetitus sub rationem, immortalita-  
tem, impatibilitatem &c. five sumamus ea tan-  
tùm quæ à gratiâ santificante distinguuntur. Col-  
ligitur ex Araucanò Concilio II. can. 1. ubi per  
hoc peccatum dicitur homo totus secundum animam  
& corpus in deterius immutatus. Per idem peccatum  
influcta nobis esse quatuor animæ vulnera, vi-  
delicet ignorantiam in intellectu, malitiam in  
voluntate, infirmitatem in appetitu irascibili, &  
concupiscentiam in concupiscibili, docent cum S.  
Thomâ 1. 2. q. 85. a. 1. & 3. cæteri Theologi,  
idque supra iam insinuavimus, & colligitur ex  
Tridentino Sess. 6. c. 1. agente, tamesi in homini-  
bus per peccatum minimè extinctum sit liberum arbitri-  
um, tamen viribus astenuatum & inclinatum fuisse. Un-  
de & Psalmista conqueritur Psal. 37. v. 4. in-  
quiens, non est sanitas in carne mea. Eodem addu-  
ci solet parabola de peregrino Ierichuntino fædè  
à latronibus vulnerato Luc. 10. à v. 30. Prædictis  
quatuor vulneribus accedunt innumeræ pænæ  
corporis v. g. mors, brevis vita, morbi,  
fames, sitis, labor &c. uti præter S. Scripturam  
nimis constat ex quotidiana experientia.

XIV. *Doctrina octava.* Per primam Justifica-  
tionem in Baptismo vel Martyrio vel Contriti-  
one acceptam, deletur quidem peccatum origi-  
nale quoad essentiam: at non statim quoad om-  
nes pœnalitates. Prior pars clara est; quia per  
Justificationem accipitur gratia sanctificans, quæ  
tollit peccatum, ut definitur in Tridentino Sess.  
5. decreto 5. ubi sic ait, si quis per IESU Christi gra-  
tiam, que in Baptismo confertur, reatum peccati origi-  
nalis remitti negat, aut etiam asserit, non tolli totum  
id, quod veram & propriam peccati rationem habet, sed  
illud dicit vadi tantum, aut non impurati, anathema sit.  
Posterior pars experientia patet; remanent enim  
pœna morti omnibus subeunda, & consequen-  
ter morbi ac dolores & labores corporis: Remanet  
concupiscentia ad peccatum inclinans, & ratio-  
ni rebellans, quæ in statu innocentie per iustiti-  
am originalem ita fuisset domita & rationi sub-  
jecta, ut eâ invitâ nunquam se commovisset, ut  
nihil dicam de scientijs, quæ, nisi infundantur,  
tantò sudore comparari jam debent, & de fertili-  
tate terræ, quæ sponte omnia protulisset, nec tantò  
labore colenda. Dixi has pœnas non statim tolli,  
quia post mortem in altera vitâ tollentur. Inter-  
rim DEUS relinquit potius ex misericordia,  
quàm ex iustitia: Magis ad nostram utilitatem,  
quàm nocementa; quia hæc incommoda corpo-  
ris profunt animæ; mors absterret à peccatis, la-

bor corporis & animæ impedit otium omnium  
vitiarum fementem, concupiscentia præbet occa-  
sionem pugnandi & vincendi, ideoque Tridenti-  
num loc. cit. dixit: Manere autem in Baptismo  
concupiscentiam vel fomitem, hæc S. Symodus fassetur &  
sentit; que cum ad agone relicta sint, nocere non consentibus,  
sed viriliter per Christi IESU gratiam repugnantiis non  
valent; quin imò, qui legitime certaverit, coronabitur.

XV. *Doctrina nona.* Qui cum solò peccato o-  
riginali moriuntur, uti Infantes sine baptis-  
mo decedentes, in alterâ vitâ nullam pœnam  
sensûs patientur, sed duntaxat damni, hoc est,  
carentiam æternæ beatitudinis. Ita omnes Catho-  
lici, & apertè exprimit Innocentius III. cap. Ma-  
jores de Baptismo ubi ait: originalis peccati pœna  
est carentia visionis Dei: actualis verò gehenna cruciatum.  
Consentiunt PP. Gregorius Nazianzenus orat.  
in S. Lavacrum ante medium de Infant. qui sine  
baptismo moriuntur, sic, inquit, nec celesti gloriâ,  
nec supplicijs à iusto Iudice afficiuntur. S. Ambros. in  
illud ad Rom. 5. v. 12. proterea sicut per unum  
hominem. &c. sic scribit: est & alia mors, que se-  
cunda dicitur, in gehennam, quam non peccato Adæ patimur,  
sed ejus occasione proprijs peccatis acquiruntur. Augustinus  
L. 5. contra Julian. 8. aliàs 11. hæc habet: non dico  
parvulos sine Christi baptismo morientes tantâ pœnâ esse  
plectendos, ut eis non nasci potius expediret; Et infra:  
quis dicitaverit, parvulos non baptizatos in damnati-  
one omnium lenissima futuros, quibus, quæ, & quanta  
erit, quamvis definire non possum, non tamen audeo di-  
cere, quod eis, ut nulli essent, quam ut ibi essent, potius  
expediret. Atqui damnatis omnibus, qui sensibili-  
bus pœnis torquendi sunt, æquè ac Iudæ prædi-  
tori convenit pronunciatum illud Christi Math.  
26. v. 24. melius erat ei, si natus non fuisset homo ille.  
ut Augustinus ipse supra observat. Ad stipulantur  
DD. Scholastici. D. Thomas de malo q. 5. a. 2.  
in corp. dicendum asserit, quod sicuti commu-  
niter dicitur, peccato originali non debetur pœ-  
na sensûs, sed solùm pœna damni, scilicet ce-  
rentia visionis divinæ. D. Bonavent in 2. dist. 23.  
a. 3. q. 1. parvuli, ait, decedentes in peccato o-  
riginali & non cum actuali crimine nullam ha-  
bent pœnam sensûs in corpore aut sensu exte-  
riore. Scotus in 2. dist. 33. q. 1. scribit: videtur  
Magistrorum esse sententia, quod damnati pro so-  
lo peccato originali nullam habebunt pœnam  
sensûs exterioris, puta ignis. His Scholasticum Coti-  
phæis consentiunt reliqui Theologi.

XVI. Ratio esse potest. Quia pœna sensûs non  
convenit, nisi illi, qui propter delictum est reprehensio-  
ne dignus; quippe pœna est quædam exprobra-  
tio & vituperatio, sicuti quando quis cæditur: ex-  
probratio verò & vituperatio non convenit nisi illi,  
cui à fortiori convenit reprehensio verbalis, quæ  
huius loco substituitur. Atqui parvuli non sunt re-  
prehensione digni, siquidem propter illud non po-  
test quis iure reprehendi, de quo non potest habere  
dolorem retractativum. Sed parvuli non possunt  
retractare per propriam voluntatem, quod non  
nisi per alienam commiserunt, ut patet. Ergo  
parvulis pœna sensûs non convenit. Ex Minore  
hic inferunt Theologi, quod adultus antequam  
personaliter peccet, non possit habere formalem  
contritionem, quâ deleat peccatum originale; cu-  
jus ratio à priori est, quia retractatio supponit fu-  
isse in mea potestate, ut non poneretur ille actus  
quem detestor. Non fuit autem in potestate talis  
hominis, impedire peccatum Adami, aut ne ipsi  
ineli-

includeretur in ejusdem voluntate seu pacto, aut ne ab eodem descenderet. Ex quo etiam sequitur, non tritari illos, qui hanc damni penam ob peccatum originale luunt, sive quod prorsus ignari sint rerum supernaturalium, adeoque nesciant, quid perdidierint, sive quod hanc jacturam suam propriam culpam non accidisse noverint, ideoque optime contenti sint supremi Domini dispositione, qui sua bona dare potest, cui vult; sicut Beati non curant aut ægre ferunt, alios sibi in gloria prælatos, sive ob alium mirabilem modum, quo divina providentia in hujusmodi hominibus tristitiam impedire potest. Si inferas, ex allata ratione parvulos nec potuisse propter peccatum originale puniri penam sensus temporali v. 9. purgatorii; cum tamen quælibet pena sensus sit levior, quam pena damni, Transeat illarum, distinguo id, quod fuit adjectum: pena damni est gravior, quam quævis pena sensus; si spectetur materialiter & in ratione mali, prout malum est mera privatio boni, conceditur: spectando formaliter, in quantum pena est afflictiva & vexativa negatur, quo sensu dixit S. August. in Enchir. c. 93. *penam damni esse omnium mitissimam.*

## PARS POSTERIOR.

## ERRORES HAERETICORUM.

XV. *Error primus est.* Non dari aliquod peccatum originale. Ita pelagius, ut testatur S. Augustinus Lib. 3. de peccat. merit. & remiss. c. 6. & 7. Et Lib. de hæresibus. n. 88. ubi hunc errorem vocat Pelagianorum proprium, sed eundem etiam hodie tenent Anabaptistæ Zwingliani, & alij hæretici apud Tanner Tom. 2. disp. 4. q. 7. n. 4. Adscribitur etiam Iacobo Fabro Stapulensi in c. 5. Epist. ad Rom. & non alienus ab illo est Erasmus Annot. in prædictum locum, ut refert Bellarm. de statu Peccati L. 4. c. 2. nituntur unice Authoritate Ezechielis proph. c. 20. n. 20. dicentis: *filius non portabit iniquitatem Patris*; quod verum non esset, si peccatum Adami Patris nostri nobis imputaretur. Errorem istum D. Augustinus contra Pelagianos ex instituto multis alijs Libris, tum etiam L. 1. & 2. contra Julian. rejicit, ac multa S. S. Patrum antiquorum testimonia pro veritate Catholica stabilitenda adducit ut Jrenæi, Cypriani, Atticij, Olimpij Hilarij, Ambrosij, Nazianzeni, Innocentij, Chrysostomi, Basilij & Hieronymi. Nos eundem supra jam abunde rejecimus, ut superfluum foret plura afferre. Quoad dictum Ezechielis (filius non portabit iniquitatem Patris) istud non respicit præteritum peccatum, præsertim Adami, qui ex speciali ordinatione divinâ omnium hominum personam representavit, sed futura temporâ post Ezechielem, ubi quia parentes suos liberos non representant, ideo isti non contrahunt illorum culpam. Itaque sensus est: deinceps filij non punientur propter iniquitatem parentum, nisi eis expediat ad salutem animarum, cujus clara exempla habemus in S. Scriptura. Danielis, v. 14. tres pueri in Babylonicam captivitatem ducti sunt propter peccata Ezechie Patris, cui Deus id com-

minatus fuerat 4. Reg. 20. v. 8. *De filiis tuis, qui egredientur ex te, quos generabis, tollentur & erunt Eunuchi in palatio Regis Babylonia*, quod tamen in illorum bonum egit, ut patet Danielis cap. 3. Matth. 2. v. 16. Infantes Bethlehemitici ab Herode occisi sunt propter inhospitalitatem erga Christum exercitam; at sic effecti sunt martyres, quia propter Christum occisi sunt, qui ad necem quærebatur. Omitto plura, quæ tum in Sac. Scriptura, tum in historia Ecclesiastica habentur.

XVI. *Error secundus est* Matthiæ Flacci Ilirici, qui eo usque deliravit, ut diceret, peccatum originale esse ipsam substantiam Naturæ, vel potius formæ humanæ; hanc enim post peccatum actuale ait à Diabolo transformatam, ut cum antea esset essentialis Imago Dei, nunc sit viva & essentialis imago diaboli, & ipsum peccatum originale. Errorem hunc seu potius insaniam pluribus, quam mereatur refellit Valentia Tom. 2. D. 6. q. 12. Sufficiet unam alteramvè ex eo absurdissimam sequelam ostendere. 1. Substantiam aliquam esse per se malam, quæ est damnata hæresis Manichæorum. 2. Christum contra S. Scripturam Concilia & Patres non assumpsisse ejusdem rationis Naturam cum nostrate 3. Non tolli peccatum originale, vel si illa forma diabolica tollatur, & alia in ejus locum substituat, hominem baptizatum à se ipso non baptizato plus quam specie differre: item non eandem naturam olim resurecturam. An pluribus opus ad monstrum istud opinionis rejiciendum?

XVII. *Error tertius est* Lutheranorum & Calvinistarum, ut videre est apud Amesium Tom. 4. contra Bellarminum. à fol. 29. Et Gerhardum in Slogoge fol. 885. Item in Confess. Augustan. L. 2. P. 3. à fol. 434. peccatum originale nihil esse aliud; quam concupiscentiam rationi rebellem; quæ cum semper etiam in justis maneat (ut conqueritur, Apostolus Rom. 7. v. 23. *video aliam legem in membris meis &c.*) afferunt consequenter, peccatum originale nunquam deleri, sed tantum tegi. Nituntur autoritate Apostoli, qui pluribus in locis concupiscentiam vocat peccatum, præsertim ad Rom. 7. v. 3. si, *quod nolo, illud facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Atqui concupiscentia non est peccatum actuale (cum non sit actus, sed potentia) ergo originale. Confirmant ex D. Augustino L. 5. contra Julian. Pelag. c. 3. ubi concupiscentiam non solum dicit esse causam, & effectum peccati, sed ipsam etiam per se esse peccatum. Error iste aperte rejicitur in S. Scriptura ad Rom. 8. v. 5. ubi dicitur: *nihil ergo nunc damnationis (id est dignum damnatione) ijs, qui sunt in Christo JESU, id est, per baptismum renati: Et i. Joann. 1. v. 7. Sanguis Christi emundat nos ab omni peccato.* Item in Tridentino Loc. cit. ubi ait, tolli non radi peccatum originale; certum autem est, non tolli concupiscentiam seu fomitem peccati. Ergo concupiscentia seu fomes non est peccatum originale Ad fundamentum oppositum respondet Tridentinum Sess. 5. decret. 5. *hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, S. Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod verè & propriè in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinatur, si quis autem contrarium senserit, anathema sit. quasi diceret*

diceret, concupiscentiā non esse formaliter, & propriē dictum peccatū, sed impropriē, partim ut illius effectum, partim ut causam peccati actualis; quod suadetur illis verbis ex epist. D. Jacobi c. i. v. 15. *concupiscentia cum conceperit, parit peccatum*; Ergo peccatum est illius partus & effectus; neque inusitatum est in alijs scripturæ locis, peccatum impropriē sumi. Deut. 9. v. 21. vitulus aureus, quem adoraverant Judæi, vocatur peccatum, hoc est, objectum & causa peccati. Zachariæ ult. v. 19. sterilitas terræ ex defectu pluviarum causata vocatur peccatum, id est, effectus & pœna peccati. vulgò etiam dicitur scriptura manus, per quam scripta fuit. Ex hoc jam patet, quid ad confirmationem ex D. Augustino dicendum; scilicet S. Patrem vocem peccati itidem usurpasse latius, sive prout quælibet vitiositas Naturæ à præfixa regula aliquo modo deficiens dicitur peccatum: sive prout etiam objectum peccati subinde peccatum objectivè scilicet & materialiter dicitur, si ei non consentiatur; etenim si consensus accedat, tunc utique fit formale peccatum. Videatur *Contraversia LII. §. XI.*

XVIII. Urgent Adversarij, quod repugnat legi divinæ, est proprium & formale peccatum. Atqui concupiscentia repugnat Legi divinæ dicens: *non concupisces* &c. Ergo est proprium & formale peccatum. Hujus argumenti tam Maior quam Minor distinguenda est: Maior quidem, quia id, quod formaliter repugnat legi divinæ tanquam actus prohibitus, est formaliter peccatū, conceditur: quod repugnat efficienter causando peccatum, vel ad id incitando, illud est formaliter peccatum, negatur; aliàs ipse homo, qui facit peccatum, esset peccatum, Minor autem sic distinguitur? concupiscentia repugnat legi divinæ, si sumatur pro potentia appetitūs, negatur; quia hanc potentiam DEUS ipse creavit, qui tamen facere non potest peccatum: si verò sumatur pro appetitu, & quidem libero, conceditur, esse peccatum & repugnare divinæ legi; secus verò, si fuerit actus præveniens rationem & liberum consensum voluntatis, quam Theologi morales vocant motum primo primum; etenim peccatum non est, nisi liberum; alioquin & bruta peccarent appetendo alienum pabulum. Joannes Gerhardus lib. 2. Confess. part. 3. c. 5. de peccati originalis natura adducit pro hæresi suâ antiquos aliquos Theologos, qui putarunt peccatum originale esse morbidam qualitatem à morbo & corruptione carnis in animam derivatam, & excitantem in nobis omnis generis prava desideria & concupiscentias. Fateor hanc opinionem, ut proponitur, non longè recedere ab errore præsentis Lutheranorum, & Calvinistarum; quia identificat peccatum originale cum concupiscentiâ & inclinatione illa in malum, quæ tamen manet etiam post baptismum, & deletum jam totum peccatum originale quoad reatum culpæ. Tanner tamen D. 4. q. 7. cit. n. 97. putat planè, auctores hos aliud non intellexisse per qualitatem illam, & concupiscentiam quam materiale, & effectum peccati originalis, non verò essentiam ipsam; Unde errasse potius in philosophia, quam in fide censendi sunt.

XIX. Occasionem videtur dedisse S. Augustinus, quando L. i. cit. de nupt. & concup. c. 23. & alibi contra Julian. peccatum originale constituit in reatu pœnæ æternæ, Item c. 25. ibi-

dem, quando peccatum originale vocat affectionem quandam malæ qualitatis instar languoris. Sed intelligendus S. Pater in priore quidem loco de reatu radicali, & dignitate fundamentali ad pœnam æternam, quæ est ipsa culpa peccati originalis, ut paulò ante eundem explicavimus: vel dicendum, S. Augustinum describere peccatum originale per effectum notissimum, non verò per prædicatum essentiale, & primò constitutum peccati originalis. In posteriore verò loco D. Augustinus intelligi debet de concupiscentia, quæ tamen non fit ratio formalis ipsius peccati originalis, sed aliquid duntaxat materiale respectu illius, sic dictum, quod sit effectus quidam peccati originalis, sicuti Sanguis effluens est effectus & dicitur materiale quid respectu iræ, ut vult Tanner n. 116. vel dicitur materiale, quia illa concupiscentia durat ante & post justificationem, manente & sublato peccato originali, Sicuti corpus manet in homine vivo & mortuo, quæ indifferentia est propria materiæ, & ita S. Pater explicat Espazza Tom. i. Lib. 5. q. 6. ad 1. & 5.

XX. Dicunt Sectarij imperturbabile esse, quomodo peccatum hoc traducatur in animam, mediante corpore absque hoc, quod sit in corpore, & talis qualitatis derivatio ex carne in animam interveniat. Respon. peccatum originale, sicuti alia peccata, recipi in solâ anima, seu proprio subiecto, nullâ autè ratione in corpore; dici tamen hoc peccatum traduci in animam, mediante corpore, quia Adam peccavit, & suo & posterorum nomine; per corpus autem seminali generatione ab Adamo descendens constituntur posterij in ratione posterorum. Itaque licet corpus & ipsius unio cum anima, neque in genere Causæ efficientis, longè minus formalis, aut finalis originaliter inficiat animam, est tamen quoddam applicans peccatum originale ad animam, & conditio, sine qua anima juxta præsens Dei cum Adamo patrem, nunquam contraheret peccatum originale. Existente autem illâ conditione statim in ipso conceptionis instanti intelligitur infans jam pridem peccasse, tunc scilicet, quando Adam peccavit; quippe subsistit hæc denominatio: infans nunc conceptus peccavit in Adamo, etiam si non omnia fuerint tunc: sicuti enim peccatum habituale, quia est forma tantum moralis, per aliquid præteritum constituere potest peccatorem de præsentis; ita originale similiter forma maralis per aliquid futurum denominare potest peccatorem de præterito.

XXI. *Error quartus est.* Contra S. Scripturam errant Pontificij, asserentes B. Virginem Deiparam fuisse sine peccato originali conceptam. Ita hæretici communiter, ut videre est apud Joannem Gerhardum in *Isagoge* sua à fol. 888. Et in *Confess. Evangelicâ* L. 2. P. 3. à fol. 412. Et apud Guilielmum Amesium Tom. 4. à fol. 20. & alios. Probat 1. quia S. Scriptura universaliter pronunciat, omnes in Adamo peccasse ad Rom. 3. v. 23. *omnes enim in Adam peccaverunt, & egeni gloria Dei.* 2. ad Corinth. 5. v. 15. *Si unus pro omnibus mortuus est, Ergo omnes mortui sunt,* scilicet in Adamo propter illius peccatum. Atqui, inquirunt, ab his & similibus universalibus locis non habetur sufficiens fundamentum excipiendi B. Virginem. Fatendum ergo, culpam originalis labis ipsam

ipsam incurrisse. Probant. 2. ex Patribus & Scholasticis. SS. PP. sæpe pronunciant univ. omnes in Adamo peccasse, & exceptionem solius Christi esse peculiarem affirmant. Probant 3. quia Si Beatissima V. non peccasset in Adamo, five si non contraxisset in Adamo & debitum & peccatum, non fuisset à Christo redempta, neque Christus pro eâ dici posset mortuus. Consequens est absurdum. Ergo &c Minor patet; quia de fide est, neminem è posteris Adæ dari, pro quo Christus mortuus non sit. ut docet S. Augustinus L. de peccatorum meritis c. 24. & 28. Et contrarium sententia derogat dignitati Christi, cui omnes Gentes dicuntur subiectæ ratione mortis & passionis. Sequela Majoris probatur. Quia omnis redemptio supponit peccatum, & multo magis debitum incurrendi peccatum, ut ait S. August. 157. *nihil redimitur, nisi qui sub peccato fuerit*, quæ verba necessariò subintelligenda sunt sub ista disjunctione vel in se, vel in Adamo. Probant 4. B. U. obnoxia sunt pænalitibus. Ergo vi proprii peccati originalis; aut si hoc & peccato actuali non fuerit inquinata, saltem vi debiti ejus peccati originalis contrahendi.

XXII. Error iste non consistit in eo, quod hæretici asserant, B. Virginem Mariam cum peccato Originali conceptam fuisse; cum hoc etiam aliqui Catholici teneant: & Ecclesia nihil adhuc in hoc puncto tanquam fide tenendum determinaverit. Sed in hoc, quod iidem hæretici obstinatè asserunt, ex Sac. Scriptura apertum esse *Articulum Fidei*, quod Beatissima Virgo Maria concepta fuerit in peccato originali, & nullo modo in hoc puncto sit excepta, in quo eisdem nullus Romano-Catholicus ad stipulatur, estque illud nihil aliud, quam condemnare Ecclesiam Catholicam à peccato falsitatis & erroris, quæ tamen est *Columna & fundamentum veritatis* 1. ad Timot. 1. v. 15. Cum ergo Ecclesia Catholica nihil adhuc determinet circa Scripturæ intelligentiam, missis Catholicis Doctoribus (cum quibus negotium & lis nobis hic non est) contra solos hæreticos agimus, & hoc temerario suo iudicio errare, & demonstrare non posse, Beatissimam Virginem in peccato fuisse conceptam, solutione argumentorum, quæ ex S. Scriptura asserunt, manifestè ostendemus. Itaque

XXIII. Respond. Ad 1. probationem ex Scriptura. Ab his, & quibuslibet alijs similibus S. Scripturæ generalibus propositionibus eximendam semper esse B. Virginem Mariam, idque non fieri absque sufficienti firmoque fundamento. *Suadetur*. 1. Ex ipsâ S. Scriptura univ. sales leges non univ. saliter accipientes. Esther 15. v. 12. Assverus sic alloquitur Reginam Conjugem suam Esther, quæ eoram illo contra legem latam comparverat non vocata: *noli timere, non morieris, non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est*. Verùm si pro omnibus, quomodo non etiam pro Esther? quia nimirum illa non debuit in omnium censum communi æstimatione referri, quod multò melius in Mariam quadrat, ut, quam DEUS a deo super omnes creaturas evexit, nullis harum legibus, pactis, lac juribus illius perfectio mensusurari debeat. *Suadetur* 2. Ex Concilio Tridentino in decreto de peccato originali. Cum præmississet, Adamum peccatum in omne genus humanum transfudisse: & rursus cum dixisset, peccatum propagatione transfusum omnibus inesse, mox adjicit, *sua intentionis non esse, B. Virginem in*

*eo decreto comprehendere*. Si ergo S. Concilium univ. sales propositiones non vult in sua univ. salitate accipere, quatenus B. Virgini aliqua inde labes peccati aspergi videtur, An non firmum fundamentum est, negandi univ. salitatem quibusvis alijs propositionibus, ex quibus aliquid peccati & turpis notæ (quale est peccatum originale & proximum ejus contrahendi debitum) eidem Virgini injuri conspiciatur. *Suadetur* 3. ex Patribus & Scholasticis, quos copiosè adducunt Perlinus & Salazar, sufficiat nobis unus D. Augustinus de Virgin. assumpt Ser: 3. ita loquens: *non immeritò Maria excipitur à quibusdam generalibus verâ asimatione, quam tanta servat gratia, & extollit prerogativa*. Ne Scholastici hic desiderentur, pro mille unus stet D. Thomas, qui 3. P. q. 27. a. 1. ad 2. apertè docet, legi communi non ita Deum alligare potentiam suam, quin aliquos ex speciali gratiâ subinde excipiat. Quos autem potius, quam Beatam virginem Matrem suam? *Suadetur* demum 4. ex receptissimo illo axiomate: *leges univ. sales non excludunt privilegia particularia*. Quamvis igitur in multis offendamus omnes, & univ. si nascamur filij iræ, ut loquitur S. Scriptura, id tamen non impedit, quin omnium consensu B. V. Maria fuerit divinitus præservata à peccato actuali, & ante Nativitatem sanctificata. Cur ergo non potuerit a pacto inter DEUM & Adamum inito eximi, & sic ab omni omnino labe contrahenda præservari?

XXIV. Respond. Ad 2. ex Patribus. hos ex omnibus sæculis surgentis Ecclesiæ apertè pro nostra sententiâ stare, ut supra jam diximus. Quando ergo aliqui ex P. P. asserunt, solum Christum fuisse immunem à macula originali, loquuntur de immunitate vi Conceptionis, absque viro scilicet factæ; B. Virgo autem non fuit libera ex vi præcisæ conceptionis, sed ex speciali Christi gratiâ, ac privilegio; quæ eadem gratiâ subinde quoque latiore loquendi modo dicitur ab iisdem mundata, purificata, & purgata ab omni contagione etiam peccati originalis, id est, præservata ab illa sorde. Alij, quando verbo significant, B. Virginem contraxisse originale peccatum, loquuntur non de actuali contractione, sed aptitudinali seu debito contrahendi, & quidem remote solum. Quo modo etiam intelligendi sunt, quæ B. Virginem dicunt obnoxiam fuisse peccato originali: item qui ajunt, eandem habuisse carnem peccatricem, id est, aptam peccato contrahendo. Epistolam inter opera S. Bernardi 174. ad Canonicos Lugdunenses, quæ incipit: inter Ecclesias, & reprehendit Canonicos istos, quod Immaculatæ Conceptionis celebritatem inconsulto Romano Pontifice invexerint, non esse D. Bernardi, ut sibi Salazar c. 35. n. 42. & multi alij persuadent, sed cujusdam Nicolai hominis subdoli, qui ipsi ab Epistolis fuit: neque istum S. Patrem à vera nostraque sententiâ unquam dissenisse, fusè ostendit P. Joannes Perlinus dist. 10. c. 12. Et. Dist. 12. c. 5. Sufficiat hic unicus ejus locus Sermonè de verbis Apocal. ubi de B. V. sic scribit: *candidissimus sanè & calidissimus hujus mulieris amictus, cujus omnia tam excellentè irradiata noscuntur, ut nihil in eâ non dico tenebrosum, sed obscurum saltem aut minus lucidum, sed ne tepidum quidem aliquid, aut minus ferventissimum liceat suspicari*. At quomodo B. Virgo non fuisset minus lucida, imò tenebrosa, si unquam peccato originali subsuisset; cum de

ijs, qui aliquando in peccato fuere, Paulus dicit ad Ephes. 5. v. 8. *eratis aliquando tenebra, nunc autem Lux in Domino.*

XXV. Quando demum Patres universim pronuntiant, omnes in Adamo peccasse, & exceptionem solius Christi esse peculiarem affirmant, hoc ipso quod ab universalibus propositionibus exceperint explicitè Christum, exceperunt idem implicitè B. Virginem, quia quodammodo Mater & Filius una sunt caro ad eum modum, quo SS. Augustinus, Hieronymus & alij Patres ajunt, plerasque sententias ex his, quæ genes. 2. & 3. de viro dictæ sunt, ad mulierem extendi, & ampliari; nimirum illas: *ad similitudinem Dei fecit illum: in sudore vultus tui vesceris pane tuo: pulvis es, & in pulverem reverteris &c.* Cum ergo ille primus Adam fuerit umbra secundi: & Evæ quoque Maria similitudinem gesserit, haud à verò alienum est dicere, in Christo excipi simul & excludi Mariam ab universali lege & pacto, quæ reliquos homines sub peccato concludunt. Quod si nonnulli ex Patribus & Theologis antiquis aliqua dixissent, quæ mitiorem explicationem non facile paterentur; doctrina, quam tot hodie Sanctitate & sapientia viri tradunt, & amplectuntur, non idcirco rejicienda est. Quis enim dicat, Veteres omnia scivisse, nec quicquam amplius è secretioris doctrinæ fundamentis erui posse, quod mirabilem DEI providentiam, altissimamque rerum dispositionem apertius declaret? quod infinitam passionis meritorumque Christi vim & efficaciam clarius ostendat? Quod incredibilem DEI Genitricis Puritatem sanctitatemque amplius manifestet? Aut divina Sapientia omnes suos thesauros in veteres effudit nihil posteris reservando? multa veteribus planè ignota, hodie per Ecclesiam certa & definita sunt. Unde pulchrè S. Gregorius Hom. 16. in Ezechiel ait: *per intervalla temporum crevit scientia Patrum.*

XXVI. Respond. Ad 3. Negando sequelam Maioris cum Salazar c. 24. à n. 115. Perlino dist. 12. c. 1. & alijs. Nam non defunt graves Theologi, qui velint ad veram & genuinam redemptionis proprietatem universim neque peccatum originale, neque debitum hujus contrahendi esse necessarium; siquidem neutrum illorum Adamus & Eva habuerunt, & tamen verè & propriè à Christo redempti sunt; quatenus ab actualibus expiati & mandati fuerunt. Atqui in redemptione hominum ab actualibus culpis ex communi omnium Theologorum consensu excellentior & dignior est redimendi modus, qui à lapsu præservat, quam qui ab hoc jam facto iterum erigit. Ergo licet B. Virgo Maria non habuerit originale peccatum, nec debitum hujus contrahendi utpote in pacto DEI cum Adamo non inclusa, fuit tamen verè redempta, nempe ab actualibus & personalibus, in quæ incidisset, si ex Christi passione ac meritis non fuisset præservata. Imò cum B. V. Maria vi naturæ & originis suæ habuerit aptitudinem originalis labis contrahendæ, ab ipso etiam originali peccato fuit redempta, rigorosè hanc vocem accipiendo, non quasi in istud fuisset lapsa, sed ne laboretur in illud; quam præservativæ redemptionis formam D. Dionysius de diu. Nom. sic exprimit: idcirco eam redemptionem etiam appellant Theologi ex eo, quod non finit ea, quæ sunt, ad id cadere, ut non sint. Plura de hoc in Disput. mea vit.

XXVII. Respond. 4. Ad 4. Probationem. Negando Antecedens, fuisse scilicet B. Virginem Mariam obnoxiam penalitibus, quæ talibus Pro cuius intelligentià advertendum ex communi Theologorum. Famem, sitim, mortem, & similia dupliciter spectari posse. 1. prout sunt naturales quædam naturæ humanæ affectiones; hoc ipso enim, quod homo ex contrarijs inque se mutuo agentibus rebus & virtutibus constetur, oportet ipsum famere, sitire, male beneque habere, ac tandem corrumpi. 2. prout eadem naturæ humanæ fragilitates post violatum pactum & culpam commissam à Deo toti humanæ naturæ in penam & maledictionem aliquam determinatæ sunt; sic etiam reptare supra peccus, & comedere terram, erat naturale serpenti, hoc ipsum tamen in maledictionem ei est versum postquam Evam deceperit, ut ex communi Patrum sententia tradit Cornelius à Lapide c. 3. Genes. v. 4. priori modo sensit B. V. fragilitates humanas mortem scilicet, famem, sitim &c. non posteriore, hoc est, quatenus erant penalitates quædam peccato originali à DEO inflictæ. Hinc SS. Patres quoties Beatissimam Virginem affirmant mortis legi obligatam, non culpæ, sed naturæ tantum meminerunt. Videri possunt apud Salazar c. 47. n. 8. Sufficiat nobis S. Damascenus in orat. 1. de dormit. Virginis, ubi quærens, quo pacto, inquit, quæ in partu natura leges exceperat, nunc ipse legibus subest, atq; immaculatum corpus morti subiacet; respondet mox in hæc verba: oportebat illud exulæ mortalitate induere incorruptionem, præsertim cum nec ipse quidem Dominus mortis periculum facere recussit. Ecce solius naturæ, non culpæ fit mentio. Hisce obstare viderit S. Augustinus, qui in Psalm. 34. sic scribit: *etenim ut celerius dicam, Maria ex Adamo mortua est propter peccatum Adæ, Adam mortuus est propter peccatum. Et caro Domini, ex Maria mortua est propter delenda peccata.* Verum non obstat. Nam dicitur B. Virgo non ideo mortua propter peccatum, quasi peccati rea fuerit, atque inde necessitatem moriendi incurrerit, sed quia cum peccatum omnibus hominibus heripuerit remedium, quo vitam perennem ducere possent, nempe Arborem vite, ipsa quoque Virgo ex hominibus & inter homines nata remedio illo caruit, atque idcirco, ex naturali suâ conditione morti subiacuit; inquam sensum ipse S. Pater se explicat Serm. 3. de Assumpt. B. Virginis aïens, *memores enim conditionis humane mortem illam subisse temporalem dicere non volumus, quam idem certè ejus filius, qui & DEUS & homo, lege sortis humane sustinuit: & hoc quia homo de ejus susceptus & profusus est utero.* Est tamen ingens adhuc discrimen inter Beatissimam virginem, & Christum Dominum; quia hic licet mortale corpus induerit, ejus tamen anima erat Beata, atque ideo animæ beatitudo connaturaliter posebat, ut corpus illud inter alias gloriæ dotes immortalitatem capesseret; quia simul DEUS erat & homo, atque adeo poterat suam ipse vitam tueri, ac in ævum producere solus inter mortuos liber; siquidem nulla illum lex, nullum jus ad mortem subeundam adigebat, sed ipsi mori liberum æque ac voluntarium erat. Quæ alia obijciuntur contra Immaculatam B. Virginis Mariæ Conceptionem aut nullius sunt momenti, aut certè ex dictis facillimè solvuntur. Facessant igitur hæretici, seseque erroris & peccati accusent; dum assertam B. V. Mariæ Immaculatam Concep-

Conceptionem temere velut errorem contra S. Scripturam proclamant. Non habet purissimum, sed ostendit maculas, Speculum.

XXVIII. Error (juxta plerosque DD. Cathol.) sextus est: Parvuli absque Baprisimo ex hac vita decedentes pœnis non tantum dampni, sed etiam sensibilibus ignis æterni tormentis plectuntur. Ita moderni hæretici Lutherani & Calvinistæ apud Gerhardum L. 2. part. 3. à fol. 455. & Amef. Tom. 4. à fol. 29. quos sequitur Cornelius Jansenius Iprensis. Tom. 2. L. 2. de statu Naturæ lapsæ. c. 25. colum. 420. ubi ait: *longè ab Augustini & Ecclesiæ mente fortassis recesserunt Scholastici, qui parvulis sine Baprisimo morientibus immunitatem à sensibilibus pœnis ignis æterni tribuerunt.* Probant. Tum quia parvuli isti sunt verè damnati, juxta illud ad Rom. 5. v. 18. *per unius delictum in omnes homines in condemnationem.* Tum quia Concilium Florentinum in decreto unionis dicit, *illorum animus, qui cum solo peccato originali decedunt, mox in infernum descendere.* Tum quia S. Augustinus Serm. 14. de verbis Apost. dixit: *parvulos in ignem æternum & combustionem æternam,* Tum quia parvuli non intrabunt in beatitudinem æternam. Ergo in ignem æternum; etenim in has solum duas classes Christus in Evangelio dicitur aliquando divisurus universum genus humanum.

XXIX. Errori huic apertè adversatur Innocentius III. supra §. 15. adductus, ubi planè definire videtur, *pœnam peccati originalis solam esse carentiam visionis DEI.* Et certè non videtur divinæ bonitati consentaneum, eos æternis cruciatibus addicere, qui nullum actuale peccatum commiserunt; cum pœna sensus juxta D. Thomam conversioni ad creaturas principaliter respondeat: & ideo delinquenti infligatur, ut ordò per peccatum læsus restaretur, dum invitus sentire cogitur, ordinem naturæ suæ perturbari, qui ordinem universæ naturæ debitum peccando violavit. Ad hæc pœna sensus in inferno infligitur ad puniendam illicitè percepta & quæstia gaudia in hac vitâ, secundum illud Apocal. 18. v. 7. *quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum.* Atqui infantes cum solo originali decedentes nulla gaudia in hac vitâ illicitè quæsierunt, aut perceperunt. Ergo &c. Unde communis etiam PP. & DD. sententiâ prædictos infantes à pœna sensus eximit.

XXX. Respond. Ad 1. parvulos puniri pœnâ dampni, hoc est, privatione visionis DEI, quâ pœnâ potest affligi ille, qui solum in alienâ voluntate peccavit; quia est mera subtractio, & denegatio alicujus boni absolute non debiti: nec infantes in aliam nisi in hanc pœnam in Scripturâ damnati leguntur. Dicunt Adversarij, privationem boni indebiti non esse ullo modo pœnam. Respond. esse pœnam, quando quis erat proximè ad illud bonum destinatus; per hoc enim privatio ejusmodi boni potest esse materia tristitiæ, nisi hæc per accidens impediatur. Ad 2. Concilium Florentinum nomine *inferni*, non intelligere locum damnatorum, sed Limbum puerorum. Nam Hebræi omnem locum subterraneum etiam sepulchrum vocant infernum. Sunt autem intra terram tres cavernæ; prima & infima circa centrum caverna est infernus, & locus damnatorum: secundus & remotior locus est purgatorium: tertius & altior est limbus non baptizatorum; ubi tamen non in perpetuum manebunt, sed post finem mundi ex illâ specu extra-


hentur supra terram, ubi vitam felicem agent in perpetuum immortalitate donati, scientijs infusis illuminati, & contemplatione perpetuâ occupati, in quâ Philosophi naturalem beatitudinem collocabant. Ita P. Didacus Ruiz, de voluntate DEI disp. 61. Sect. 4. n. 3. Quamvis alij aliter non nihil sentiant, quos alibi adduxi Ad 3. D. Augustinum apertè stare pro nobis L. 5. contra Julianum, cujus verba supra §. 15. retulimus. Unde ex serm. 14. itidem citato plus non convincitur, quàm S. Patrem aliquando dubium hæsisse; quandoquidem in epist. 28. ad Hierony. ita scribit: *cum ad pœnas ventum est parvulorum, magis mihi crede, coarctor angustijs, nec, quod respondeam, prorsus invenio. Docè ergo quid sentire, quid dicere, debeamus.* Sed hoc dubium S. Pater postea deposuit, & si etiam in eo persistisset, alios ipsi P. P. quos supra adduximus, opponimus. Ad 4. hæc & similia fuisse à Christo dicta & intellecta de adultis, quibus tunc prædicabat, ut colligitur ex adiectis: *esurivi enim, & non dedistis mihi &c.* quod utique parvulis non potest obijci. Et hæc de peccato originali.



CONTROVERS. LXI.

DE PECCATO ACTUALI.

**D**iximus ad initium prioris Controversiæ, peccatum esse triplex Naturæ, Artis & Moris, atque de solo postremo nos hic agere. Et quamvis Malum, Peccatum & Culpa inter se differant, velut superius & inferius; eo quod Malum significet defectum in quacunquè re. Peccatum verò defectum in quavis operatione: Culpa denique defectum in Actione morali. In præsentia tamen, ubi de malo & peccato morali agitur, hæc tria inter se convertuntur, si modò de malo morali formaliter loquamur, etenim aliàs sæpe aliquid dicitur moraliter malum aut effective solum, uti vitium: aut objective seu materialiter, uti motus turpis indeliberatus; quæ tamen propriè culpæ & peccata non sunt.



PARS PRIOR

DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

**D**octrina prima. Peccatum Actuale est actus moralis malus. Ita S. Thomas 1. 2. q. 17. a. 6. ubi ait, peccatum nihil aliud esse, quàm actum humanum malum. Dicitur 1. Actus moralis, seu humanus, id est, intrinsecè & formaliter liber, elicitus cum advertentia ad dictamen rationis seu prudentiæ. Debet autem omne peccatum esse actus liber, quia partim peccanti imputatur ad vituperium & pœnam, partim quia omne peccatum est contra conscientiam rectam, & dictamen conscientiæ dissuadens peccatum, & suadens oppositum tanquam melius & debitum fieri. Si autem peccatum esset necessarium, & oppositum esset impossibile, ratio suadens unum fieri & alterum omiti, esset non recta, sed stulta, idemque faceret, quod

Ecc 2 is, qui

is, qui ægroto non potenti se juvare disvaderet morbum, & suaderet sanitatem. Dicitur 2. Malus est enim peccatum dignum odio Dei, & hominum; de Deo patet ex illo Sapient. 14. v. 9. *similiter odio Deo sunt impius & impietas ejus*; quod autem est dignum odio tanquam rationabili aversione præsertim Naturæ sapientissimæ, & res omnes juxta meritum æstimantis, non potest non esse summum malum. Patet idem etiam in hominibus, ex quibus vix ullus est vitæ tam perditæ & profligatæ, quem non statim atque peccavit, subeat dolor aliquis ac remorsus conscientiæ. Hujus autem ratio à priori constat ex eo, quod peccatum sit semper aut fere semper aliquo modo involuntarium, & ortum ex ignorantia, quæ si postea per clariorum cognitionem tollatur, & sic perpetrati malitia peccati meliùs detegatur, dolor inde & pænitentia exnascitur.

II. Objici potest. Illud non habet veram malitiam, quod etiam à Deo est eligibile. Sed peccatum est tale; quia unum peccatum potest esse pæna alterius, teste S. Augustino, pæna autem potest eligi & intendi à Judice. Respond. propter hanc ipsam rationem; & quia pæna à Judice verè intenditur: peccatum autem à Deo intendi nunquam potest, sed semper sit contra voluntatem illius, negari, quod unum peccatum possit esse pæna alterius. Et ita docet Card. Pallavicinus 1. 2. disp. 3. q. 2. 2. 4. n. 2. ubi S. Augustinum explicat de peccato habituali præsertim originali, cujus perseverantiam in pænam actualis DEUS aliquo modo causat, volens negationem auxiliorum, quibus mediantibus peccator respiceret, & ita peccatum habituale tolletet.

III. Cæterum propter multiplicem respectum peccati ad finem, à quò deviat: ad principium, à quò producitur: ad legem, quam transgreditur: ad DEUM, quem offendit, variæ adhuc aliæ definitiones peccati dantur, ut videre est apud Autores passim. Una est reliquis celebrior, quæ peccatum commisionis (aut omissionis additâ particula non) definitur à S. Augustino L. 22. contra Faustum c. 17. *delictum, factum, vel concupitum contra legem æternam*. Est autem Lex æterna juxta eundem S. Patrem Ratio divina, vel Voluntas DEI ordinem rationalem conservari jubens, perturbari vetans, ut refert Joannes Amicus de peccatis D. 7. Sect. 1. Non obstat, quædam fieri contra leges positivas & mutabiles. Nam extat lex æterna, ut obediamus præceptis quibuscumque à legitimo magistratu in tempore & pro tempore latis; positò ergo præcepto humano jam ponitur materia Legis æternæ; quia ponitur aliquid contentum sub illo genere Hinc deducitur, malitiam formalem peccati consistere adæquatè in solo actu libero, & ne quidem compleri per privationem subsequentem actus oppositi debiti, quidquid jam sit, an detur hujusmodi privatio. Nam prædicta malitia formalis non est aliud, quam contrarietas ad legem obligantem. Atqui hæc contrarietas formaliter consistit in actu positivo; quippe dum peccatur per actum positivum, semper lex immediate præcedens obligat ad talem actum non ponendum: & tota obligatio formaliter semper cadit supra liberam determinationem legi conformem. Ergo libera omisso talis actus est formaliter contrarietas ad legem. Sed privatio actus debiti (si hæc distinguatur ab actu positivo) non est formaliter determinatio libera. Ergo omisso li-

bera, prout est formaliter contrarietas ad legem, consistit in actu positivo, ut pluribus ostendunt Scholastici, ad quos hæc quæstio pertractanda spectat.

IV. *Doctrina secunda.* Non omnia hominum opera sunt peccata, sed aliqua sunt Sancta bona ac laudabilia. Ita omnes Catholici & est de fide ex Trident. Sess. 6. can. 25. sic loquente: *si quis in quolibet bono opere justum saltem venialiter peccare dixerit, aut quod intolerabilius est, mortaliter, atque ideo pænas æternas mereri &c.* Anathema sit. Hanc doctrinam satis probavimus supra Controv. 57. S. 1. & 4. de operibus bonis & horum meritis. Confirmatur hic breviter ex Sac. Script. Math. 5. v. 16. *sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona &c.* Atqui peccata non lucent coram hominibus, nec illos incitant ad DEUM glorificandum, sed potius scandalizant. D. Paulus 1. ad Timoth. 6. v. 17. hortatur divites bene agere, & divites fieri in bonis operibus &c. Psal. 17. v. 21. *David gloriatur: retribuisti mihi dominus secundum justitiam meam, & secundum puritatem manuum mearum retribuisti mihi*, Atqui peccatum non est justitia, nec puritas, sed maculat manus & animum. Accedit multiplex ratio. 1. si omnium hominum opera sunt peccata, etiam fides justificans erit peccatum, quò nihil absurdius dici potest. 2. Concionari, Baptizare, Eucharistiam fumere, dare Elemosinam erunt peccata. Ergo vitanda; ad quæ tamen non DEUS hortatur. 3. perinde erit orare ac blasphemare, pejerare, & debitum solvere; quia utrumque æquè malum & peccaminosum est, quæ sunt absurdissima.

V. *Doctrina tertia.* Non omnia peccata hominum sunt mortalia, sed quædam tantum venialia, sic dicta, quod facile à DEO veniam obtineant. Est de fide ex Tridentino Sess. 6. c. 11. dicente: *licet in hac mortali vita, quantumvis sancti & justii, in levia saltem & quotidiana, que etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea desinunt esse justii; nam justorum illa vox est & humilis & verax, dimitte nobis debita nostra*. Idem discrimen peccatorum mortalium & venialium designat S. Iacobus c. 1. v. 15. *Concupiscentia carnis concepit, parit peccatum, peccatum vero, cum consummatum fuerit, generat mortem*. Ergo cognoscit aliquod peccatum nec consummatum, nec generans mortem, adeòque non mortale. Item S. Paulus. 1. ad Corinth. 3. dicit: quædam hominum delicta igne punienda, salvâ tamen æternâ salute, sic enim loquitur v. 15. *si cujus opus arserit (scilicet in judicio DEL.) detrimendum patietur, id est, punietur, ipse vero salvus erit, quæ est manifesta descriptio venialium peccatorum*. Sac. Scripturæ consonant Patres apud Valentiam Tom. 2. D. 6. q. 18. Sufficiat nobis S. Ambrosius Lib. 2. de pænit. c. 10. *Sicut baptisma, inquit, ita una pænitentia, que tamen publice agitur, nam quotidiani etiam nos debet pænitere peccati, sed hæc delictorum leviorum, illa graviorum*. Et D. Augustinus in Enchir. c. 71. ubi ait: *de quotidianis, levibusque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana fidelium oratio satisfacit &c. delet omnino hæc oratio (Dominica) minima & quotidiana peccata*. Accedit ratio, quæ sumi potest ex humana amicitia rectè instituta; esset enim severissimus is, qui quovis Amici peccato sic offenderetur, ut amicitiam discinderet. Itemque severissima esset ea amicitia lex, contra quam non posset peccari leviter, salvâ ipsâ amicitia. Quare minimè consentaneum esset

divinæ

divinæ Benignitati, quovis hominis peccato ita DEUM offendi, ut propter illud privet hominem gratiæ & amicitia; quod si alienum est à Bonitate DEI, ut ob quodcumque peccatum arceat hominem à sua gratia; certè quædam peccata naturâ sua non sunt talia, ut id mereantur.

VI. Porro quædam peccata dicuntur venialia ex genere suo, illa scilicet, quorum malitia ex objecto de sumpta adeo ex naturâ suâ est levis, ut nunquam fieri possint mortalia, nisi per accessum alicujus circumstantiæ novam speciem conferentis, uti verbum otiosum, prodigalitas, mendacium &c. è contra ex genere suo mortalia dicuntur detractio, furtum; quia manendo intra Speciem, & per se loquendo, sunt peccata mortalia; licet ob parvitatem materiæ vel imperfectam deliberationem fieri possint venialia. Unde patet, præter venialia ex genere suo datæ venialia per accidens ex levitate materiæ vel libertatis imperfectione, quam sufficere ad excusandum à peccato mortali, certum est apud Theologos omnes. Qualiæcunque autem sint peccata venialia per se, vel per accidens. Conveniunt tamen cum mortalibus 1. quod sint actus moralis malus, & offendant DEUM 2. quod neutra sint idonea, ut assumi possint tanquam media ad obtinendum finem, qualemcunque bonum, juxta illud ad Rom. 3. v. 8. *non sunt facienda mala ut veniant bona.* 3. quod ad neutrum DEUS possit concurrere speciali concursu per se, & ex intentione. 4. denique quod utriusque subjectum proprium & unicum sit voluntas. Nam sensus internus, à quo dirigitur appetitus sensitivus, non agnoscit bonum honestum, neque oppositionem actus vel objecti cum DEO, aut illius lege. Ergo capax non est alicujus actus, vel leviter peccaminosi. Differunt autem 1. quod peccatum mortale sit materia Sacramenti Pœnitentiæ necessaria; non item veniale. 2. quod mortale trahat secum reatum æternæ pænæ: veniale tantum temporalis per se. 3. Quod mortalia gratiam sanctificantem, charitatem, aliisque habitus supernaturales tollant: non item venialia; sicuti etiam illa à visione perpetuò excludunt: venialia tantum ad tempus. Verum hæc & plures aliæ differentiæ accidentales tantum sunt. Essentialiter igitur & intrinsicè peccatum mortale differre videtur à veniali quod illud planè sit: deliberata & affectiva aversio à DEI voluntate graviter obligante: non istud; unde peccatum mortale breviter & clarè definiti potest: *gravis DEI offensa*: Veniale verò *levis offensa*; quænam autem mortalia sint, colligendum est vel ex S. Scriptura, vel communi sensu Doctorum & Ecclesiæ, vel ex gravitate materiæ præceptæ simul cum intentione Legislatoris, aut modo præcipiendi & prohibendi, vel ex gravi oppositione cum charitate erga DEUM, vel proximum, aut se ipsum &c.

VII. *Doctrina quarta* Non omnia peccata mortalia sunt in malitia æqualia, sed alia alijs deteriora. Ita omnes Catholici & clarè asseritur à Christo Joan. 10. v. 11. *qui tradidit me tibi, majus peccatum habet*, utique tam Pilati quam indæ fuit peccatum mortale, & tamen Judæ fuit gravius. Idem declarat Matth. 5. v. 22. in speciali peccato iracundiæ, cujus tres gradus ponit. 1. *omnis, qui irascitur fratri suo*, (scilicet in animo mortem, vel aliud grave malum desiderans.) *reus erit judicio qui autem dixerit fratri suo racha* (id est stupor insipientis) *reus erit consilio*: *qui autem dixerit fatuè* (& si

graviorem illi contumeliâ intulerit ex illa lethali iracundiâ) *reus erit gehennæ ignis*. Ubi alludie ad civilia Judæorum tribunalia, in quibus leviores culpæ à communi Judicium confellu agitabantur: graviore autem referrebantur ad concilium septuaginta duorum seniorum: gravissima verò extra urbem puniebantur in valle, quæ vocabatur gehennâ, id est, vallis tristitiæ; Nam illic olim infantes in cultum dæmonum igne cremabantur; in cuius flagitij detestationem ille locus profupplicio ignis destinatus fuit, adeoque significat Christus, illum quidem graviter peccare, qui in animo continet lethalem iram: gravius verò illum delinquere, qui insuper in verba contumeliosa erumpit: gravissimè verò, qui summam contumeliâ in alterum effundit. Idem discrimen peccatorum docet Christus Marc. 3. v. 24. indicans quædam peccata facile à DEO remitti, alia difficillimè & rarissimè; sic enim loquitur: *amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filijs hominum peccata & blasphemia, quibus blasphemaverint; qui autem blasphemaverit in spiritum S. non habebit remissionem in æternum, sed reuserit æternum delicti*. Scilicet secundum legem ordinariam, rarissimè enim peccantibus in Spiritum S. conceditur gratia pœnitentiæ; quamvis enim omnia peccata totam S. S. Trinitatem consequenter etiam Spiritum S. offendant, tamen illa dicuntur specialiter repugnare spiritui S. tanquam amori divino, quæ directè adversantur divinæ misericordiæ contemptim & pertinaciter respuendo omnia media, quæ Spiritus S. ad impetrandam remissionem peccatorum instillar, cujus modi media sunt fides, spes, pœnitentia &c. sic enim occluditur via divinæ misericordiæ. Consentit etiam S. Joannes Epist. 1. c. 5, v. 16. dicens: *qui sit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem; non pro illo dico, ut roget quis. Ubi nomine peccati ad mortem non intellexit quodlibet mortale, sed quod cum tantâ pertinacia committitur, ut usque ad mortem continuandû statuatur; quod maximè contingit in apostasia à fide, ubi Christo perpetuò renunciarur & ejus gratia contemnitur; pro his autem apostatis non veniat orare S. Joannes, sed non audeat promittere exauditionem.*

VIII. *Doctrina quinta*. Non sola incredulitas aut illa tantum peccata, quæ fidem excutiunt, sunt mortalia, sed insuper etiam alia plurima; nec vicissim omnia sunt venialia, quæ cum fide justificante consistunt, sed ex his quædam etiam mortalia. Est de fide ex Trident. Sess. 6. c. 15. can. 27. ubi dicitur: *si quis dixerit, nullum esse mortale peccatum nisi infidelitatis, aut nullo alio quovis, quantumvis gravi & enormi, præterquam infidelitatis peccato semel acceptam gratiam amitti, Anathema sit.* & Can. 28. *si quis dixerit, amissâ per peccatum gratiâ simul & fidem semper amitti, aut fidem, qua remanet, non esse veram fidem &c. Anathema sit.* Idem habetur in S. Scriptura Matth. 25. v. 41. ubi Christus, ait: *discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus; esurivi enim &c.* ex quibus verbis manifestè patet, non solam infidelitatem, sed alia etiam longè plura esse Peccata mortalia, Non sola autem esse peccata mortalia, quæ fidem auferunt, indicant illa Scripturæ loca, ex quibus conijcitur peccatores etiam graves esse in Ecclesia; v. g. ex similitudine arææ, in quasunt paleæ & triticum Matth. 3. ex similitudinè Sagenæ, in quâ pisces boni

boni sunt permixti cum malis Matth. 13. ex similitudine decem virginum, inter quas quinque prudentes, & totidem fatuæ. Ex quibus omnibus clare inferitur, etiam graves quosdam peccatores esse posse in Ecclesiâ, adeoque retinere fidem, ac proinde non omnia peccata, quæ mortalia sunt, tollere ab homine fidem; quod signatè tradit Paulus a. ad Corinth. 13. v. 2. *ajens, si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Ubi aperte significat, posse fidem esse sine charitate, adeoque cum peccato mortali, sine quo nunquam abest charitas. Consentiant Patres apud Bellarm. L. c. de amiss. grat. c. 8. Accedit ratio, quia nō omnia peccata gravia aduersantur fidei, sed tantum infidelitas; inauditum autè est in Ecclesiâ, adulterum, homicidam aut alios graves peccatores, hoc ipso, quod hujusmodi peccata committant, fidem amittere, & infideles fieri. Hinc ipsimet Lutherani impium illud pronunciatum Lutheri, *solum incredulitatem esse peccatum mortale*, rejiciunt, ac damnant.

IX. *Doctrina sexta.* Non omnia peccata Infidelium sunt mortalia, Sed quædam ex his etiam venialia Ita Catholici Doctores, & habetur ex Tridentino Sess. 6. can. 7. ubi dicitur, *si quis dixerit, opera omnia, que ante Justificationem sunt, quæcumque ratione facta sint, verè esse peccata, vel odium Dei mereri, anathema sit.* Probatur. Tum quia ex Scriptura constat, quædam peccata ex naturâ suâ & objecto esse venialia; ut diximus supra §. 3. Tum quia in scripturâ etiam peccata eadem infidelibus minùs imputantur ad culpam & pœnam, quam fidelibus; in quibus tamen nemo negat, peccata venialia esse posse. ita Lucæ 12. v. 45. dicitur: *ille autem servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, & non preparavit, & non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis: qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis; omni autem, cui multum datum est, multum quæretur ab eo: & cui commendatum multum, plus petent, ab eo.* Tum quia infideles facere possunt quædam opera moraliter bona; cur non etiam peccata quædam solum venialia? Tum quia infidelitas non afficit vel inficit omnia opera infidelium; neque enim omnia opera infidelium, quæ faciunt, ex infidelitate faciunt, cujus sæpe non sunt memores, ut alibi docetur.

X. *Doctrina septima.* Non omnia, & solum reproborum Peccata sunt mortalia, sed etiam quædam electorum. Ita Catholici D. D. communiter. Prior pars constat ex §. 3. cit. solum addo, etiam reprobis quædam peccata tam mortalia, quam venialia per pœnitentiam remitti posse; quæ ante finem vitæ habuerunt. Quo fit, ut in eis etiam venialia esse possint, quæ talia dicuntur ab effectu seu eventu. Posterior pars est de fide, & ostenditur pluribus Scripturæ exemplis. Nam Adam prædestinatus erat; cum Irenæus L. 1. c. 31. Tertul. L. de præscript. adversus hæretic. Epiph. hæref. 46. August. de hæref. c. 25; inter hæreticos numerent Tatianum, qui id negabat; nec tamen dubitari potest, Adamum comedendo cibum vetitum, mortaliter peccasse, ut constat ex Genes. 2. v. 17. *quocunque die comederis ex eo, morte morieris.* Et ad Rom. 5. v. 12. *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* David utique prædestinatus & justus fuit juxta illud Actor 13. v. 22. *suscitavit illis David Regem, cui testimonium perhibens dicit: inveni David si-*

*lium Jesse, Virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas; & tamen constat, Davidem gravissimè peccasse 2. Reg. c. 11. & 12 & Psal. 50. ubi ipsèmet David deflet adulterium occasione Bethsabeæ commissum.*

XI. *Doctrina octava.* Deus verè ac propriè loquendo, nullo modo est Causa vel Author peccati Ita omnes Catholici & definitur in Concilio Tridentino Sess. 6. can. 6. his verbis: *si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera ita ut bona Deum operari, non permisisse solum, sed etiam propriè, & per se, adeo ut sit proprium ejus opus, nō minus proditiolude, quam vocatio Pauli, Anathema sit.* Probatur ulterius 1. ex S. Script. Sapient. 11. v. 25. *nihil odisti eorum que fecisti: & Sapient. 14. v. 9. odio sunt Deo impius & impietas ejus.* Ex his testimonijs ita argumentari licet cum S. Augustino L. 1. ad Simplicianum q. 2. DEUS nihil odit eorum, quæ ipsemet operatur. Sed DEUS odit peccatum; Ergo DEUS non operatur peccatum. Psal. 5. v. 5. dicit David de DEO: *quoniam non DEUS volens iniquitatem Tu es, Ecclesiast. 15. v. 12. non dicas, inquit Siracides, ille, (DEUS) me implantavit, id est errare, peccare fecit à sapientiâ; non enim necessarij ei sunt homines impij* 1. Joan. 3. v. 8. *qui facit peccatum ex diabolo est; quoniam ab initio Diabolus peccat, in hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli. omnis qui natus est ex DEO, peccatum non facit, & v. 10. omnis, qui non est justus, non est ex DEO.* Plura ejusmodi testimonia videri possunt apud Tanner, Tom. 2. D. 4 q. 9. n. 58. Probatur 2. ex Patribus, quorum testimonia pulsim obvia sunt, & copiose adducuntur à Suarez. in 1. 2. D. 6. n. 9. de peccat. S. Irenæus integrum opus adversus hanc hæresin scripsit, teste Eusebio L. 5. histor. c. 19. Similiter D. Basilius scripsit integram homiliam, cujus titulus est: *DEUS non est Author peccati.* D. August. tres Libros scripsit de Liberò arbitrio, eâ potissimum de causâ, ut ostenderet, DEUM, non esse Causam peccati, Cæteri Patres fere omnes idem tradunt. Inter quos Chryostomus hom. 23. in Act. Apost. *nilus, inquit, dicat, DEUS nobis autor est malorum.* & infra: *Saxus fuerit sexcentis defodi, quam DEUM adire talia per nos.* Oprimè etiam Patres Concilij Arausiaci c. 23. suam, inquirunt, *voluntatem homines faciunt non DEI, quando id agunt, quod DEO displicet.* Rationem assignat D. Thomas 1. 2. q. 79. a. 1. quia omne peccatum est per recessum ab ordine, qui est in DEUM, sicut in finem. Deus autem omnia inclinat & convertit ad se ipsum, sicuti in vltimum finem. Unde impossibile est, ut vel sibi vel alijs sit causa discedendi ab ordine, qui est in ipsum, adeoque ut sit directa causa peccati. Rursus etiam si DEUS aliquibus non præbeat auxilium; quod si præberet, non peccarent; atamen totum hoc facit secundum ordinem suæ divinæ Sapientiæ & justitiæ; unde non imputatur ei ut causâ peccati, quod alius peccet; sicuti gubernatur non dicitur causa submerisionis navis ex hoc, quod non gubernet navem, nisi quando subtrahit gubernationes potens & debens gubernare. Et sic patet, DEUM neque esse indirectè causam peccati. Probatur 3. doctrina nostra ex ipsis hæreticis, qui detestabilem suam opinionem retractarunt, ut ostendit Tanner n. 54. Unde Calvinus in admonitione adversus Libertinos longâ disputatione probare nititur, DEUM non esse causam peccati. &c. Theodorus Beza in respons. ad Heshusium, tum in alia ad Castalonem dilige-

genere purgat se & suum Magistrum Calvinum ab illa nota. Philippus Melanchthon autem Lutheri assecla; crudelis inquit, opinio est, quæ fecit Deum Auctorem peccati, à quâ auribus & animis abhorre debemus. Vide Tannerum cit. dub. 4. ad initium. Hic scilicet est versipellis hæreticorum genius, ut affirmant, negent, prout volunt, & non prout rei veritas, sed eorum perversitas dicitur.

XII. Cæterum variae sunt causæ peccatorum. 1. Voluntas humana, quæ per modum Causæ efficientis & materialis ad actum peccaminosum immediate cõcurrit. 2. ex parte intellectus ignorantia rerum, quarum cognitio nos à peccato retraheret; unde S. Thomas ait, esse tantum causam per accidens, seu removemtem prohibens. 3. Appetitûs sensitivi & passionum inordinatio, quæ hominem ad amandum objecta delectabilia impellunt; non obstante, quod sint inhonesta, prohibita &c. 4. Suggestiones à diabolo; excitatio specierum in phantasia; commotio appetitûs; apparitio aliquando visibilis, propositis minis aut præmijs. 5. unum peccatum ad aliud disponens. 6. Homo exemplo & consilio &c. ad peccatum inducens, & præsertim aliorum nomine peccans, uti primum parentem fecisse, constat ex dictis de peccato originali; quæ omnia latius explicata videri possunt apud. S. Thomam 1. 2. à quæst. 75. & alios Scholasticos.

XIII. *Doctrina novæ.* Effectus peccati tam mortalis quam venialis est Reatus pænæ. Ita omnes Catholici D. D. cum S. Thoma 1. 2. q. 87. a. 1. intelligitur autem per Reatum pænæ non solum obligatio ad pœnam, quæ ex ipsa sententia & decreto supremi iudicis immediate oritur, sed etiam dignitas pænæ; quæ immediate in ipso peccato fundatur. Atque utroque modo nihil est aliud, quam relatio rationis, seu potius denominatio extincta. Pœna, generatim loquendo, duplex constitui potest. Hujus & alterius vitæ; quæ posterior rursus est duplex damni & sensûs, pœna in hac vita sunt mala tum temporalia, quæ Deus secundum arbitrium suum infligit, præcipue ob peccata publica, & communia totius communitatis. v. g. bella, famæ, pestis &c. tum Spiritualia, quæ consistunt in subtractione gratiæ seu habitus seu actualis. Item in excecatione, & induratione; de quibus videri potest Lessius de perfectionibus divinis L. 13. à c. 12. Peccatum mortale personale in altera vita inducit reatum pænæ æternæ tam sensûs, quam damni; quarum illa in privatione visionis DEI: hæc in cruciatu inferni consistit. Vtramque esse æternam docet fides Catholica; nam de priori dicitur 1. ad Corin. 6. v. 9. *iniqui regnum DEI non possidebunt*: de posteriori verò Matth. 25. v. 41. *ite maledicti in ignem æternum*. Imò illud *ite* seu *discedite* denotat quandam ejectionem à visione DEI: Quemadmodum peccati mortalis ita etiam venialis pœna vna est hujus vitæ propria, altera alterius. Et quidem pœna in hac vitâ temporalis est afflictio varia: Spiritualis verò ex communi Sententia Theologorum est imminutio fervoris charitatis, & dispositio ad peccatum mortale. In altera vitâ certum est duplicem quidem pœnam peccato veniali à DEO decretam, nempe pœnam damni & pœnam sensûs, sed utramque per se loquendo solum esse temporalem non æternam; pœna damni consistit in dilatione visionis DEI post egressum animæ: pœna verò sensûs in

doloribus, quos animæ perpetuunt in igne purgatorio, ut tenent omnes Catholici, de quo supra Controv. 40. fusè egimus. Rationem pro doctrina nostra assignat S. Thomas 1. 2. q. 87. art. 1. Quia videmus in rebus naturalibus & humanis quidquid contra aliquem ordinem insurgit, ab eo ordine & principe ordinis deprimi. At verò, qui peccat, agit contra triplicem ordinem Rationis, Legis humanæ, & divinæ; unde triplicem pœnam incurrit, unam quidem à se ipso, quæ est Conscientiæ remorsus, aliam ab Homine, tertiam denique à DEO.

XIV. *Doctrina decima.* Peccata etiam post pœnitentiam non semper ita remittuntur, ut nulla amplius vel in hac, vel in altera vitâ restet pænæ temporalis luenda. Ita omnes Catholici, & habetur in concilio Tridentino Sess. 6. c. 14. & Can. 30. ubi dicitur: *Si quis post acceptam justificationis gratiam cuilibet peccatori penitenti ita culpam remitti, & reatum pænæ æternæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pænæ temporalis exsolvenda vel in hoc sæculo vel in futuro in Purgatorio, antequam ad regna celorum aditus patere possit, anathema sit.* Quemadmodum ergo Rex aliquando reo condonat offensam, & pœnam capitis, quam meritus est: & tamen ne videatur omnino neglecta Justitia publica, vult illum per aliquod tempus exilio vel carcere puniri, ita DEUS post remissa peccata seu mortalia seu venialia quoad culpam & pœnam æternam non nunquam reservat aliquam pœnam temporalem vel in hac vel in altera vitâ solvendam. Id quod suadent varia Scripturæ Exempla v. g. Moysis, & Aronis, qui propter peccatum incredulitatis jam jam ipsis remissum ad huc puniti sunt morte corporali Num. 10. v. 12. & Deut. c. 33. v. 48. Item Davidis, qui post imperatam veniam adulterij & homicidij punitus est morte Filijz. Reg. 12. v. 13 &c. Eandem doctrinam tradunt. Patres, qui ob hanc ipsam etiam causam tum Missæ Sacrificium tum Satisfactionis usum commendant, ipsiusque etiam purgatorij fidem adstruunt. Unde commo- dius infra post pœnitentiæ Sacramentum pluribus hanc doctrinam probabimus, & oppositum errorem refutabimus.

## PARS POSTERIOR.

ERRORES HÆRETI-  
CORUM.

XV. *Error primus.* Omnia hominum opera sunt peccata, quantumvis bona videantur. Ita Cornel. Jansenius Jprens. Tom. 2. de statu Nat. Lapsæ. JL. 4. c. 18. col. 632. ubi ait: *ita inducta est peccandi necessitas, ut in omni actu, quo quis legem sibi videtur vel servare vel transgredi, reus alicujus peccati teneatur.* Probat 1. Pelagiani doctrinam suam, quod possint fieri opera Naturæ moraliter bona, fundant in loco Apostoli ad Rom. 2. v. 14. *Genes, quæ legem non habent &c. naturaliter ea, quæ legi sunt, faciunt.* 2. Libertas arbitrij ad faciendum bonum in peccato proflus perijt, nec ad unum restat. 3. Nullum omnino fieri potest opus bonum, hoc est, sine peccato, nisi in DEUM propter se dilectum referatur: alioquin neque rectè fit, neque bonum opus est, sed verè peccati contaminatione pollutum

tum. Error iste vix differt ab illis erroribus, quos supra Controv. 46. & 47. rejecimus. Item à nonnullis propositionibus Michaelis Baij damnatis in Bulla Pij V. & Gregorij XIII. quam recitat Suarez. Tom. I. de Grat. Prolog. 6. c. 2. Respond. ad 1. Censuram illam Iansenij à prædictis Pontificibus damnatam esse Proposit. 43. Et interpretatio illius loci D. Pauli, quam Pelagianismo accenset, omnium ferè est Sanctorum Patrum, Interpretum, ac Scholasticorum; utrique igitur Iansenius graviter est injuriosus. Ad 2. Cum D. Augustino de Spiritu & Litt. c. 27. non usque adeo in anima humana imaginem DEI terrenorum affectuum labe detritam esse, ut nulla in eà veluti extrema lineamenta remanserint. Non igitur ita extrinsecus censerit potest libertas arbitrij, ut in nullo profus opere possit se rectæ rationis & legis regulæ conformare. Videri possunt, quæ supra Controv. 46. cit. dedimus. Ad 3. apud omnes Theologos hæcenus indubitarum fuisse, dari tam Theologicarum, quam moralium virtutum actus nullo charitatis motivo informatos; ac proinde ex charitatis defectu nihil obstat, quominus intra Naturæ limites actus moraliter boni dentur. Variâ loca S. Scripturæ Concil. & Patrum, quibus naturæ hominis negari videtur potestas bene operandi, intelligenda sunt de operationibus ad salutem & pietatem Spectantibus. Videatur Tanner Tom. 2. disp. 6. q. 3. dub. 3. Dicent Adversarij si factores Legis justificantur, ut asserit Paulus in probat. 1. allegatus: Et Gentiles solo lumine & vi naturæ faciunt legem, ut idem affirmat. Ergo Gentiles solo lumine & vi naturæ justificantur, quod est Pelagianum. Scrupulus iste olim incessit D. Augustinum. Sed facile eximitur distinguendo Majorem: factores enim non partium aliquarum, sed totius legis justificantur. Iam verò Gentiles solis naturæ viribus non totam legem naturalem, sed solum aliquas ejus partes faciunt aut facere possunt.

XVI. Error secundus. Omnia peccata esse Mortalia. Ità post antiquos aliquos hæreticos nostri temporis Sectarij Calvinus L. 2. Instit. c. 8. §. 58. & 59. & L. 3. c. 4. §. 28. Amesius tom. 4. contra Bellarm. à Fol. 9. cæterique Calvinistæ, Lutherus asserit. articuli. 32. & Lib. de Captivitate Babyl. tit. de baptis. tom. 1. Wittenb. pag. 78. Melancthon in loc. com. tit. de peccat. actual. Kemnit. in Exam. Trid. Sess. 6. c. 11. q. 3. de bonis operib. & Sess. 14. ubi de penitentia agit, Gerhardus in Jlag. à fol. 912. Qui tamen, uti in hac re omnes contra Catholicam doctrinam sentiunt, ita dissentiunt inter se. Lutherani peccata mortalia censent esse non solum infidelitatem, sed etiam peccata, quæ admittuntur contra conscientiam, hoc est, à perre contra legem divinam, aut etiam ex causa ignorantia: venialia verò appellant in primis ea, quæ ob corruptionem, ut ajunt, & infirmitatem necessariò admittuntur, ut subitæ dubitationes de Deo, & motus subitæ sensualitatis, atque omnia demum opera Justorum, quatenus perfectione int. græ justitiæ destituuntur, ut videtur est apud Melancthonem & Kemnitium loc. cit. Calvinus autem peccata mortalia absolute solum vocat peccata reproborum, propter quæ damnantur: venialia verò prædestinatorum, quæ illis condonantur saltem post fidem, ut colligitur ex eodem Calvino L. 3. Instit. c. 2. §. 11. cui consentiunt Calvinistæ apud Ames. loc. cit. & vi-

detur etiam ad stipulari Gerhardus fol. 613. Jagogæ, ubi ait, venialia solum dari in renatis, non autem in non-renatis, per quos nonrenatos utique intelligit reprobos. Probat 1. per ea Scripturæ loca, in quibus peccatum quodvis significatur morte dignum. Ezechiel. 18. anima, quæ peccaverit, ipsa morietur ad Rom. 6. v. 23. Stipendia peccati mors, ubi Apostolus sine ulla exceptione de peccato loquitur. Jacobi 2. v. 10. qui offenderit in uno factus est omnium reus. 2. Ex illo Math. c. 5. v. 18. qui solvert unum de mandatis istis minimis, & docerit si homines, minimus vocabitur in regno celorum. Ubi, inquit Gerhardus fol. 917. taxat hunc errorem, quod sint præcepta quædam minima, quorum transgressio non mereatur æternam mortem, etique opponit allatam decisionem. 3. Deuter. 27. v. 26. maledictus, qui non permanet in sermonibus Legis hujus. Ex quo colligitur, omne peccatum, cum sit contra legem divinam, maledictio divino adeoque morti obnoxium esse. 4. SS. PP. vehementer exaggerant malitiam peccatorum venialium, utique hoc non facturi, nisi in his per se mortalem culpam agnoscerent. 5. Peccatum veniale offendit infinitam DEI Majestatem. Ergo infinitam malitiam habet, cum ex dignitate personæ offensæ crescat malitia offensæ, ut etiam docent Theologi Pontificij. 6. Peccatum veniale potest à Deo nunquam remitti, adeoque semper puniri, imò juxta D. Thomam. 2. 2. q. 83. art. 5. peccata venialia ante mortem non deleta in damnatis sempiterno supplicio reipsa afficiuntur, cui consentiunt non pauci Theologi Pontificij. 7. DEUS ob solum etiam peccatum veniale absolute potest hominem, quantumvis justum, æternam damnare; cum seclusâ promissione possit innocentem etiam æternis supplicijs addicere, ut itidem aliqui Pontificij DD. tenent. Ergo peccata solum sunt venialia ex DEI misericordia, non naturâ suâ. 8. minima opera bona ex sententia multorum Pontificiorum merentur vitam æternam. Ergo & minima peccata merentur mortem æternam. 9. Malum culpæ etiam levissimæ majus est quolibet malo pænæ; potius enim subeunda est quævis pænæ, licet gravissima, quam peccatum etiam levissimum perpetrandum. Ergo justè potest qualibet culpa puniri à DEO quâlibet pænâ etiam mortis æternæ. 10. aliqui etiam Pontificij DD. nullum peccatum ex naturâ suâ veniale agnoscunt, ut Joan. Gerfon 3. P. operum de Vita Spirit. Lect. 11. Almain, Rossensis &c. 11. Incredibile est, inter duo furtâ solius nummi discrimine distantia unum esse mortale, alterum veniale; & tamen volunt Theologi ex mille v. g. furtis unius nummi pleraque antecedentia esse solum venialia peccata, tandem verò deveniri ad furtum mortale ex uno nummo.

XVII. Errorem hunc damnarunt Pius V. & Gregorius XIII. Summi Pontifices in Bulla contra Michaellem Bajum Anno. 1579. edita. ubi inter alios recitatur & damnatur hic articulus: *Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam; & jure meritissimo damnatur.* Nam lumine Naturæ perspicuum est, inter optimos etiam amicos nonnunquam intercedere aliquas leves offensunculas, quas tamen amicus non posset rationabiliter ita graviter apprehendere, ut propterea dissolveret amicitiam; imò ipsa amicitia semel inita requirit, ut hujus modi offensunculæ moraliter vix evitabiles facile

facile remittantur. Atqui DEUS est amicorum sincerissimus, & moraliter est impossibile, nihil nos illi displicens committere juxta illud Iacobi 3. v. 2. *in multis offendimus omnes*. Et Ioan. 1. v. 8. *si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, veritas in nobis non est*. Adhæc amicitia Dei moraliter debet observari posse, aliâ in effectu proinde foret; ac si esset impossibilis. Ergo ex naturâ rei debent etiam respectu DEI esse quadam offensionulæ leves, quæ cum ejus amicitia consistere valent. Plura contra hunc ipsum errorem diximus supra §. 4. Argumenta in oppositum produnt magnam ignorantiam apud hæreticos Scripturæ & doctrinæ Partum & Pontificiorum. Itaque

XVIII. Respond. ad 1. Argumentum in oppositum. Ex Ezechiele & ad Rom. &c. Hæc & similia loca intelligenda esse de solis, gravioribus peccatis; & de præcipuo analogato peccati; nempe de peccato mortali: non veniali; quod est peccatum quoque absolute dici possit, est tamen in genere peccati & cum mortali comparatum quiddam imperfectum, sicut ferè accidens respectu Substantiæ est ens quoddam imperfectum. Ad 2. D. Chriostomum & Theophilactum in cit. locum Matthæi intelligere ea mandata Christi, quæ iste supra justitiam Scribarum & Phariseorum adjecerat; nempe non concupiscendum, non irascendum, non fatuum appellandum proximum, non odio habendum inimicum &c. Et quia Pharisei & Scribæ internam consensum in adulterium &c. minimi faciebant; Christus ex opinione istorum eadem mandata vocat minima, etsi in se sint maxima, maximiq; facienda: At transgressores eorundem dicit minimos, id est, ultimos vilissimos ac nullos; quia in cælo nullus est ultimus, nullus vilis; unde notat Titimus in cit. loc. Christum lulisse amphibologice in voce minima & appellasse mandata improprie minima, cum revera in se magna essent: transgressores vero proprie minimos, id est, vilissimos; ultimos, imò nullos, cum in cælo nullus sit vilis &c. Ad 3. Inde solum colligi, divinam maledictionem incurri per omne illud peccatum, quod ita est contra divinam legem; ut sit etiam contra finem legis, qui est charitas; qualia tamen non sunt peccata venialia. Ait Amelius; Apostolum ad Galat. 3. v. 10. extendere maledictionem & Benedictionem legis ad opera etiam levissima. Sed probet hoc Puritanus; ubi enim sit mentio in universa lege de verbo otioso; gloriolâ inani, mendacioso levi. &c.

XIX. Ad 4. Meritò à SS. PP. magni aestimari peccata venialia, Tum quia revera per se magna sunt, ita ut ne quidem pro totius mundi luctro sint committenda. Tum quia disponunt ad mortale; in quem sensum D. Basilus in Quæstionibus compendio explicatis quæst. 4. dicit, *peccatum etiam veniale esse stimulum mortis*. Et August. Epist. 108. ad Scleric. docet, *multis venialibus peccatis in unum collatis perinde nos gravari posse, sicut per unum aliquod grande peccatum*; non quasi ipsa per se venialia peccata, quantumvis multiplicata, mortale peccatum constituere possint; sed quia disponere ac inducere tandem ad mortale valent. Quando verò D. Basilus quæst. 239. ait, nullam in lege nova inveniri differentiam, aliud dicere non vult, quam in lege nova; Interprete Christo Matthæi 5. nullum esse peccatum non prohibitum, ac interdictum, cum ex falsa interpretatione Scribarum multa peccata in lege antiquâ

F f f.

non censerentur interdicta. Ad 5. Negando consequentiam. Nam etsi DEUS infinitus offendatur, attamen offenditur finite; neque enim semper offensâ tantam habet malitiam, quantum dignitatem habet ille, qui offenditur e. g. offendit potest Regia dignitas omissione alicujus obsequij, neque tamen necesse est, ut quanta dignitas sit Regis, tanta sit offensæ gravitas, ut satis patet ex dictis. Ad 6. Peccatum veniale juxta sententiam S. Thomæ per accidens solum nunquâ remitti, atque æternum quandoque puniri ob adjunctum scilicet peccatum mortale; non autem per se, & merito suo; ac proinde nec per se ac naturâ suâ dignum esse æternâ pænâ. Dixi juxta sententiam S. Thomæ, mitiorem enim opinionem dedimus in Controv. 40. de Purgatorio ex Scoto, Bellarmino, Arriaga & alijs. Ad 7. Negando consequentiam. Nam si DEUS id faceret, non faceret id præcisè, ut Judex ac vindex peccati, nec adeo ex natura & merito ipsius peccati sed ut absolutus Dominus, qui re suâ uti potest, ut lubet, uti aliqui sentiunt. Et licet alioquin Deus suo arbitratu cujusvis peccati materiam, quantumvis per se exigua, justa de causâ præcepto positivo vetare posset sub peccato mortali, uti patet in præcepto dato ipsi Adamo, non tamen convenienter rerum naturis, ac præcisè; ut Judex legem ferre posset, quâ peccatis venialibus, quatenus talibus præsertim ex subreptione ac imperfectione actûs, pænâ æterna per se decerneretur.

XX. Ad 8. Concesso Antecedente, negari Consequentiam. Nam imprimis dare minimo operi maximum præmium ingens liberalitas & misericordia foret: dari autem minimo peccato pænâ maximam Injustitia & Crudelitas foret. Deinde dare calicem aquæ frigidæ ex charitate Dei non opus minimum, sed magnum valde est & meritorium vitæ æternæ; huic autem operi bono non est opponendum peccatum veniale; quod simul cum charitate consistit; sed mortale, quod charitati repugnat. Ad 9. Negando Sequelam. Nam licet malum culpæ majus sit, quam malum pænæ (pænâ quippe est propter culpam) attamen cum veniale peccatum sit levis culpa, ex justitia etiam levi pænâ plecti debet, Punire autem pænâ æternâ in genere mali pænæ majus est malum, quam peccatum veniale in genere culpæ; siquidem culpa venialis in suo genere est levis & exigua; punire verò pænâ æternâ in genere mali pænæ est summum malum. Quare justitiæ conveniens non est, ut tantilla culpa tam gravi pænâ plectatur. Ad 10. Hos Authores sine dubio à communi Catholicorum sensu turpiter deflexisse, hæresis tamen non dampnari à plerisque Theologis, siquidem Substantia, inquirunt, dogmatis Catholici est, quod distinctio sit inter peccatum Mortale & Veniale; qualis autem illa sit, ad fidem non pertinet. Itaque etiam isti Catholici differunt adhuc ab hæreticis. Tum quia concedunt, aliqua esse venialia peccata absolute & secundum se absque ullo respectu ad certas condiciones; ad certas personas, fidei, prædestinationis &c. Tum quia fatentur peccata venialia re ipsâ & secundum præsens decretum DEI pænâ solum venialem mereri, quantumvis æternâ etiam pænâ puniri à DEO potuissent, tum quia nulla aliâ annexunt corollaria de incredulitate, non impunitate, reprobatione &c. sicuti hæretici faciunt, qui idcirco recedunt non solum à communi sententia Scho-

via Scholasticorum, sed etiam à fide, absolute & univèrsim affirmantes, omnia peccata ex se, & naturâ soà esse mortalia. *Ad 11.* & ultimum, nihilominus hoc apparere incredibile, quàm hominem uno tandem vitro exhausto sericibrium, ac peccare eum mortaliter, qui prius plura similia vitra sobriè, & absque peccato saltem graviore ebibit. Quemadmodum igitur hoc ultimum vitrum, quò inebriatur homo, non spectatur solum secundum se & præcisè; sed ut complementum omnium priorum, & ut ista in se quasi complectitur, ita ultimum numerus constituens gravem materiam & peccatum mortale non spectatur solummodo secundum se & præcisè, sed ut complementum omnium priorum numerorum furtim ablatorum illos in se quodammodo comprehendens; quâ ratione utique differt à singulis nummis secundum se præcisè sumptis. Videatur in Centurijs meis Cas. Selecti. Cent. 1. Cas. 32.

XXI. Error tertius est Stoicorum, & Joviniani hæreticorum, de quo errore Joviniani S. Augustinus L. de hæres. c. 82. ita Scribit: *hic omnia peccata paria dicebat, sicuti stoici philosophi.* Fundamentum Stoicorum est, quòd omnia peccata committantur exorbitando à recto rationis tramite: Joviniani verò, quòd in scriptura duo tantum ordines hominum constituantur; bonorum scilicet & malorum Math. 22. v. 33. *statuet oves à dextris, & hedos verò à sinistris.* Error iste est contra expressam Christi doctrinam asserentis quædam peccata gravius puniri, adeoque graviora in se esse. Lucæ 12. cit. v. 47. *ille servus, qui cognovit voluntatem domini sui, & non paravit, & non fecit voluntatem ejus, vapulabit multis: qui autem non cognovit, & fecit digna plægis, vapulabit paucis.* Et sanè lumini naturæ contradicit, qui asserit, ejusdem esse criminis nec plus, mereri pænæ homicidium, quàm colaphum, furtum mille florenorum, quàm unius &c. Ad fundamentum Stoicorum dicimus, peccata omnia esse paria secundum communissimam generis rationem, non secundum rationes proprias. Ad Joviniani verò nihil impedire, quo minus sub utroque illo ordine bonorum & malorum hominum variæ reperiantur differentiæ, cum discrimen etiam sit inter pecus & pecus, & unum pingue, alterum macilentum &c.

XXII. Error quartus est, DEUM esse causam peccati. Ita Calvinus, qui L. 1. Instit. c. 17. §. 5. sic scribit: *ego plus concedo, fures & homicidas & alios maleficos divina esse Providentiæ instrumenta, quibus Dominus ipse ad exequenda, quæ apud se constituit, judicium, utitur* Et c. 18. §. 1. *Ergo quidquid agitent homines, vel Satan ipse, DEUS tamen clavum tenet.* Et ibidem §. 3. *Et jam satis ostendi, DEUM vocari omnium eorum Authorem, quæ isti Censores volunt otioso tantum consensu contingere.* Haussit doctrinam istam Calvinus à Zwinglio, Luthero, Melanchthone. Nam Ewinglius Serm. de provident. ad Catorum principem c. 6. ait: *quando facimus adulterium, aut homicidium, Dei opus est Motoris Authoris, Impulsoris* Lutherus scripsit hæc verba: *mala opera in impijs Deus operatur;* quæ verba, inquit Becanus in Manual. L. 3. c. 5. §. 5. n. 2. ejus discipuli craserunt. Philippus Melanchthon præ omnibus à Luthero laudatus ad c. 8. epist. ad Romanos Editione 1. ait: *adulterium David, & proditio Judæ est propriè opus DEI, sicut vocatio & conversio Pauli.* Ante omnes autem hos prævierunt Simon Magus, ut refert Vincentius Lirinensis in suo comment. c. 34. Et antiqui Hæretici Cerdonitæ, Marcionitæ, Priscillianistæ,

Albigenses, Florino & alij. Calvinum attentè secuti fuerunt Libertini, & nonnulli (inter quos est Hieronymus Zanchuis L. 11. de Nat. DEI c. 21) in Hollandiâ, licet alij adversentur, ut videre est in decreto DD. Generalium Statuum Hollandiæ, quòd Anno 1660. Hagæ-Comitis in Hollandiâ idiomate Germanico - Belgico fuit impressum. Probant 1. ex Sac. Scriptura. Psalm. 104. v. 35. ait David, *DEUS convertit cor eorum (Egyptiorum) ut odirent populum ejus, & dolum facerent in servos ejus.* Exod. 10. v. 1. *Ego (Dominus.) intulit cor Pharaonis & servorum ejus.* 2. Reg. 24. v. 1. *addidit furor Domini irasci contra Israël commovitque David in eis dicentem: vades, numera Israël & Judam;* quæ numeratio ex Superbia orta graviter offendit DEUM & peste multata est. Eodem L. c. 16. v. 10. *dimitte eum (Semei) ut maledicat; Dominus enim præcepit, ut malediceret David? & quis est, qui audeat dicere, quare sic fecerit?* Genes. 45. v. 8. *Joseph injuriam illatam à Fratribus DEO adscribit: non vestro Consilio, sed DEI voluntate huc missus sum, & c.* 50. v. 19. *addit: non DEI possamus resistere voluntati.* Ad Romam. 1. v. 28. *Apostolus pravos mores Gentilium DEO attribuit, tradidit illos DEUS in reprobum sensum, ut faciant ea, quæ non conveniunt.* Amos. 3. v. 6. *non est malum in civitate, quòd non fecit Dominus.* Demum Math. 6. v. 13. *Christus nos docuit sic orare: & ne nos inducas in tentationem, unde sic argumentantur. Si Deus inducit in tentationem, tunc est causa peccati. Sed inducit in tentationem, alioquin frustra deprecemur. Ergo est causa peccati; quemadmodum si nauta nos induceret in gurgitem, ubi submergeremur, esset causa nostræ mortis, neque nostro libero arbitrio adscribi posset interitus.*

XXIII. Probatur 2. ratione. 1. DEUS impellit & cogit ad peccatum. 2. Idem jubet Impijs & Satanæ, ut maleficia concipiant. 3. Impij, dum peccant, sunt instrumenta DEI primarij Authoris. 4. DEUS procurat & quidem efficaciter, ut aliquis peccet. Ergo ejus peccati verissimus est author & causa. 5. DEUS ad eundem planè actum malum concurrit per eandem indivisibilem actionem cum causa creata. Ergo non minus erit causa physica illius, quàm homo. 6. DEUS est causa per se & author cogitationum illarum, quæ suadent & alliciunt ad objectum delectabile prohibitum. Ergo saltem erit causa moralis, scilicet suadens, consulens &c. 7. Omne bonum est ens participatum à DEO, & consequenter etiam volitio tendendi in objectum prohibitum. Ex hoc autem videtur omnino consequens esse, quòd Deus sit principium & causa volitionis. Si autem Deus est causa volitionis, quomodo non erit etiam causa malitiæ peccaminosæ, cum hæc etiam in Theologia aliquorum Pontificiorum cum actu positivo ejusque bonitate physica sit adæquate identificata, & ex certa philosophia impossibile sit, aliquid esse causam alicujus effectus, quin pariter sit causa omnium eorum, quæ cum eodem realiter sunt identificata. 8. Quidquid DEUS efficaciter vult fieri, id necessariò sit necessitate antecedenti, & consequenter DEO adscribitur, tanquam causæ & Authori. Sed quidquid sit, saltem quoad materiale, id DEUS efficaciter vult fieri. Ergo quidquid, quoad materiale saltem, sit, necessariò sit necessitate antecedenti quæ repugnat libertati adeoque non potest non fieri sic volitum, nisi à DEO tanquam causa, juxta illud Isaïæ. 46. v. 10. *Consilium meum stabit, & omnis voluntas*

*Tantus mea fiet. Et Esther II. v. 9. Domine DEUS omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, & non est qui possit tue resistere voluntati.* Hanc autem necessitatem esse antecedentem, inde patet, quod non præsupponat effectus futuritatem, sed eam causet. Minorem ultro concedunt Theologi graves asserentes, non solum omnia opera bona, sed etiam mala saltem quoad materiam, seu materialiter, prius quam fiant, & antequam futura prævideantur, prædeterminari, & prædefiniri à Deo per efficacem voluntatem, quæ ea vult fieri, quid ni igitur sit omnium author & causa?

XXIV. Pro dissolutione argumentorum in oppositum, & declaratione doctrinæ Catholicæ, quomodo DEUS non sit Author peccati. Advertendum, hæc duo, tamen apud multos idem significant, diversa tamen esse, & plus dicere esse Authorem, quam Causam. Nam Author non tantum est principium influens, sed etiam alia comprincipia ad operandum dirigens & suâ directione determinans quasi ad productionem talis effectus. Ita Francisc. Oviedo in 1. 2. Tract. 6. Contr. 7. n. 17. à quò non videtur recedere Card. Pallavicinus. L. 1. c. 17. n. 214. ubi, ille, inquit, est propriè author alicujus effectus; qui vel determinat contingentiam illius ad unam partem, vel ponit media, ex quibus sequitur ista determinatio, eum in eundem; ut proinde esse authorem videatur principium intellectuale includere: non verò esse causam per se, quæ nihil est aliud, quam principium influens in effectum ex intentione; ex cuius defectu neque natura dicitur causa partialis monstrorum, neque potentia Locomotiva causa per se claudicationis, quæ exempla asserit S. Thomas, quia licet influant in tales effectus, non tamen ex intentione, vel ulla ordinatione ad illos.

XXV. Hinc inferitur 1. & ostenditur, cur Deus neque Author, neque Causa dici possit ipsius peccati. Nam quantumvis influat in entitatem actus peccaminosi, hoc tamen præcisè facit ex officio Causæ primæ, & universalis, atque ex debito iustitiæ gubernatricis, quæ conformiter infinitæ Sapientiæ & Bonitati subvenit cuique causæ, juxta exigentiam suam. De reliquo neque determinat effectum peccaminosum, utpote offerens concursum prorsus indifferentem, & hunc ipsum tantum ideo, quia oblatio ista est necessaria ad actum moraliter bonum, & liberam ac laudabilem abstinentiam à malo actu: neque ponit ullum medium vel causam eâ intentione, ut sequatur ista determinatio. Est quidem Author & Causa voluntatis cogitationum allicientium, ac totius actus primi ad peccatum præsuppositi, per hæc tamen non intendit peccatum, sed actum bonum oppositum, idque non tantum intentione elicitâ, quâ uniè optat prodire actum bonum, propositis etiam præmijs ad illum alliciens, & gravissimis pœnis à contrario malo obsterrens, sed etiam intentione innatâ, ut docet citatus Cardinalis, quâ ipsius omnipotentia essentialiter est inclinata ad bonum. Inferitur 2. Cur DEUS non tantum boni operis & actus honesti, sed etiam omnium aliorum effectuum, solo peccato excepto, sit Causa per se, & propriè, quia scilicet ad omnes concurrat vel immediatè & ut Causa particularis, vel remotè per causas ad hunc finem à se ordinatas & ad tales effectus producentes institutas, uti est voluntas, & totus actus pri-

mus liber, ex quo volitiones bonæ, & aggregatum illud, ex quo monstra, claudicationes & similia procedunt. Inferitur 3. Cur, licet omnis bonitas physica sit quædam participatio, seu similitudo bonitatis Divinæ, DEUS tamen Author & Causa esse non possit, quotiescunque est identificata cum malitiâ morali. Quia videlicet talem bonitatem neque determinat, neque ponit quidquam ex intentione causativum talis bonitatis, quæ moraliter & identicè sit malitiâ moralis & peccaminosa. Unde Esparza de Actibus hum. q. 28. ad 2. categoricè pronunciat; DEUM non esse Authorem malitiæ peccati, ne identicè quidem, aut materialiter, aut sub quacunque aliâ limitatione, quod præter Molinam Suárez. & alios amplectitur Tanner loc. cit. n. 98. qui plures modus loquendi minus tutos ibidem asserit & reprobat. Quamvis autem DEUS non sit propriè Causa etiam indirecta, quatenus per suas inspirationes & gratias efficaces non impedit peccatum; quia ad hoc requiritur, ut non solum potuerit sed etiam debuerit impedire peccatum, ut indicat & explicat S. Thomas 1. 2. q. 79. a. 1. in corp. exemplo Navarchi, qui tamen DEUS sit causa peccati indirecta, hoc est merè permissiva, non est negandum, & ex communi aliorum concedit Arriaga Tom. 3. disp. 8. n. 45.

XXVI. Cæterum quodnam sit objectum huius decreti divini, videri possunt. Scholastici, & quibus plerique docent, illud esse disjunctivum quoad species actuum; determinatum verò quoad singula individua cujusque Speciei. Offert videlicet Decretum prædictum DEI concursum vel ad determinatum individuum actus boni, vel ad determinatum individuum actus mali; cuius tamen mali actus DEUS non est causa, quia indifferenter ad hunc vel oppositum actum bonum se habet. Sed his tria maxime obstat videntur 1. quod Patres dicant, *quidquid DEO volente fit, id fieri, Authore DEO.* 2. Si decretum illud disjunctivum dicat; volo ut Petrus vel amet, vel non amet, non est liberum; siquidem ex duobus contradictorijs unum necessariò ponitur. 3. qui vult aliquid disjunctive, adhuc verè illud vult, & est causa illius; unde non licet suadere bellum iustum vel iniustum. Ergo DEUS per disjunctionem hanc nec dum eximitur à ratione causæ simpliciter dictæ. Verum nihil horum obstat, ut citati Authores pluribus ostendunt, quibus cum breviter Respond. Ad 1. Patres intelligendos esse voluntate aliqua determinatâ, & positivâ inclinatione. Videri possunt apud Card. Pallavicinum in Libell. de Act. hum. n. 119. Ad 2. amare & non amare esse quidem contradictoria disjunctivam necessitatem habentia; non verò amare liberè, & omittere amorem liberè; etenim inter hæc duo datur medium, scilicet amare necessariò, quod tunc fieret, si DEUS offerret concursum determinatum ad solam v. g. omissionem amoris liberi Ad 3. negando paritatem. Nam suasio disjuncti tunc solum habet locum, quando utrumque membrum disjuncti omitti potest; unde malè utique suadetur bellum iustum, vel iniustum; cum unum ex istis fieri non debeat. DEUS autem concursum suum indifferentem ita ad utrumque offert, ut tamen bonum suadeat, malum dissuadeat. Interest autem Naturæ rationalis habere hunc concursum indifferentem, sine quò laudabili-

dabiliter operari non potest. Nunc ad argumenta Adversariorum supra §. XXII. allatorum.

XXVII. Respond. 1. ad S. Scripturam. Generatim verba activa hic non sumenda propriè pro actione & impulsu, sed impropriè pro permissione seu non impeditione; est enim consueta phrasia S. Scripturæ, ut DEUS dicatur ea facere, quæ finit fieri, cum facile posset impedire, sed ob certas causas & bonum finem inde secuturum non vult impedire, sed finit fieri. Homo quidem non impediens peccatum proximi, cum posset, peccat; quia tenetur impedire ex lege Naturæ; DEUS autem non tenetur impedire, ideo non peccat permittendo. Quod si verba Scripturæ semper in rigore sumere vellemus, infinita absurda sequerentur, & tota DEI Natura inverteretur, quoties enim membra humana, pedes, caput, manus, illi tribuuntur, cum tamen sit Spiritus; quoties passionibus humanæ illi adscribuntur ira, pœnitudo &c. cum tamen sit immutabilis. Malach. 3. v. 6. *Ego DEUS & non mutor.* Itaque Interpres Scripturæ non debet nimis inherere Grammaticæ, sed consulerè rationem, quid DEUM deceat. Cum ergo DEUS vehementissimè oderit peccata, ut constat ex cit. S. Scripturæ locis, non est credibile, Deum homines impellere ad peccatum. Ergo istorum horror benigniore quâdam interpretatione mitigandus est. Atque hic est capitalis error hæreticorum, quod S. Scripturam nimis literaliter intelligant, ut verba sonant, cum tamen Apostolus 2. ad Corinth. v. 6. moneat: *Inter a occidit, spiritus autem vivificat.* Hæc responsio generalis facile in specie accommodatur singulis locis in contrarium allatis.

XXVIII. *psalm. 104.* dicitur Deus convertisse cor Ægyptiorum in odium Judaici populi, quem ante dilexerunt, id est, permisisse illam animi mutationem ex instinctu diaboli, & malevolorum furis exortam; sicuti aliquis dicitur vinum convertere in acetum, si permittat ardentem prunas in vinum incidere, à quibus in acetum convertatur. Exod. 10. dicitur Deus indurasse cor Pharaonis, ut Judæis nihil concederet; quia permisit hanc voluntatis pertinaciam, sicuti exponens panem soli dicitur istum indurare. 2. Reg. 24. dicitur Deus commovisse David ad numerationem populi ex superbiâ natam, quam Deus non inhibuit; sicuti nauta solvens funem nauticum; quo navis litori affigebatur, dicitur navem commovere, quia permittit fluctibus hinc inde jactandam. Eodem L. 2. Reg. c. 16. dicitur Deus præcepisse Semei, ut malediceret David, quod est paulò difficilior explicatû; quia præceptum plus importat, quam permissionem, seu non impeditionem. Sed dico t. in textu hebraico non haberi verbum præcepit, sed dixit, quod etiam de permissione accipi potest 2. Deum verè præcepisse Semei, & inspirasse, ut Davidem probriis incesset propter peccata adulterij, & homicidij, sed tantum in genere non præscribendo certa convitia: illum autè excessisse limites, falsas calumnias objectando. Videatur Tirinus in cit. loc.

XXIX. *Genes. 45.* dicit Ioseph, se Dei voluntate in Ægyptum fuisse missum, cui nemo poterat resistere; qui locus etiam difficultatem habet, quia soli permissivæ voluntati DEI possumus resistere. Ergo non tantum peccaminosa venditio fratris in Ægyptum à DEO permissa, sed præcepta fuit. Sed dico cum cit. Authore in hunc loc. Molinâ & alijs DD. in illa venditione duo distinguenda, scilicet professionem in Ægyptum, & medium illius professionis, nempe venditionem; etenim

Deus omnia statuerat, & immutabiliter decreverat, Iosephum mittere in Ægyptum, ut tempore famis postea secururæ juvare posset suam familiam; medium autem illius professionis nostro concipiendo modo non determinasse, sed cum videret fratres odio inflatos cupere illum vendere, non præcepit, sed permisit illorum malitiam; est enim proprium linguæ hebraicæ carentis comparativo, ut cum per negationem circumscribant, cujus rei exemplum est Osee 6. v. 7. *misereremur, & non sacrificium; id est magis volo misericordiam: quam sacrificium;* cum tamen sacrificium præcepit in lege Moysis, adeoque non penitus noluerit, sed minus voluerit. Ita verba Iosephi fratres alloquentis; non vestro consilio sed Dei voluntate huc missus sum, non negant etiam fratrum consilio illum venisse, sed magis voluntate Dei, q. d. vos inficij subervistis divinæ voluntati, quæ pridem statuerat, me huc mittere, & habuerat varios mittendi modos, sed viso vestro odio; Deus illo tanquam medio usus est.

XXX. *Ad Rom. 1.* Apostolus malos Gentilium mœurs Deo tribuit, qui eos tradiderit in reprobum sensum, id est, permisit, eos sequi sua mala desideria, sicuti Medicus inobedienti agroti curam suam & medicinam subtrahens, dicitur eum tradere morti. *Amos 3.* dicens, nullum esse malum in civitate, quod non fecit Dominus, nihil facit ad rem; quia non loquitur de malis culpæ, sed pœnæ q. d. *Propheta sine Dei nutu, qui Creator ac Rector est universorum ac Judex & Vindex omnium, nullus seu hominum seu Demorum potest vel manum movere vel verbum effuere, quò quis lædatur, aut tristitia afficiatur. Mathæi denique 6.* cum oramus Deum, ne nos inducat in tentationem, non intelligitur inductio passiva & activa, sed negativa seu permissiva, ut sensus sit, ne destituas nos tuo auxilio; nec sinas nos incidere in peccata, quemadmodum si obfessi cives à Principe subsidium flagitent, ne tradat eos in manus hostium, non intelligerent positivam traditionem; sed negativam, ne suum ipsi auxilium subtraheret, ut hostibus tradantur. Alioquin S. Iacobus. c. 1. v. 12. non scriberet: *nemo cum tentatur, dicat, quoniam à DEO tentatur; DEUS enim intendator malorum est, ipse autem neminem tentat;* hoc est, nulli intentat mala, nullum activè excitat aut impellit ad peccandum.

XXXI. Respondetur 2. ad probationes ex ratione §. 23. adductas, quæ pleræque omnes ex recens dictis corruunt. Ad quatuor igitur priores. Negamus Deum impellere, & cogere ad peccatum: jubere Satanae, & impijs, ut maleficia concipiant: uti impijs, dum peccant, tanquam instrumentis: procurrare efficaciter, ut aliquis peccet &c. hæc quippe uti impia & blasphemæ, ita à Deo remotissima sunt juxta hæc Scripturæ loca *Psalm. 5. v. 5. quoniam non Deus volens iniquitatem Tu es. Sap. 4. v. 9. odio sunt DEO impijs, & impietas ejus Habaucc v. 13. mundi sunt oculi tui, ne videant malum, & vespere ad iniquitatem non poteris. Jerem. 19. v. 5. edificaverunt excelsa Baalim, quæ non præcepi, nec locutus sum, nec ascenderunt in cor meum.* Omnis alijs 1. ad Thessalon. 4. v. 3. *hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra. Expendantur ista; an, iisdem salvis, DEUS impellere ad peccatum; jubere peccatum; desiderare ac procurrare peccatum possit. Ad 5. negamus Consequentiam. Nam Deus, etsi ad actum illum concurrat, non tamen efficit actionem illam, ut causa particula*

ricularis, sed ut causa universalis, præbens vim & influxum quendam indifferentem, & communem ad illam actionem, atque ad contrariam, qui à concursu causæ secundæ limitatur, & determinatur, ut ex dictis patet. Hoc autem minimè est novum commentum Jesuitarum, ut calumniatur Amelius fol. 28. prope finem, sed est communis sententia Catholicorum D. D. & præsertim D. Thomæ tum alibi, tum q. 3. de malo. a. 7. ad 13. ubi dicit, *Deum agere cum omnibus causis secundis sed cum liberis ita agere, ut eas non determinet ad unum, sed relinquat determinationem in potestate liberi arbitrij.* Quid clarius dici potuisset pro allato responso nostro. Non ergo novum est hoc Jesuitarum commentum; sed in illo Jesuitæ genuinos se Angelici Doctoris discipulos ostendunt.

XXXII. Argumentum, quod Amelius fol. 29. contra indifferentem Dei concursum objicit, nimis tritum, & sæpius jam solum est; quippe tunc solum concursus indifferens ad peccatum & virtutem est peccaminosus, quando ille, qui præbet prædictum concursum; tenetur impedire malum, quod eventurum sciverat. Deus autem non tenetur ad mala impedienda, quæ certo novit eventura. Tum quia summus Provisor est. Tum quia potest à malis elicere bona. Tum quia æquum est, ut naturas conservet, neque eis denegat auxilium, sine quo operari nequeunt. Tum denique si Deus omnia mala impedire vellet, plurima mundo deessent, cum nihil fere sit in rebus creatis, quò non aliqui abutantur.

XXXIII. Ad 6. Negamus Deum inde esse causam & Authorem peccati, siquidem per ista DEUS non intendit peccatum; sed actum bonum oppositum, ideoque non tantum intentione elicit, quæ unice optat prodire actum bonum propositis etiam præmijs ad illum alliciens, & gravissimis pænis à contrario malo absterrens, sed etiam intentione innatâ, quæ ipsius omnipotentia essentialiter ad bonum est inclinata. Ut diximus supra. Ad 7. Itidem ex dictis constare, Deum non esse Authorem & causam peccati, quantumvis bonitas physica (quæ est participatio seu similitudo quædam bonitatis divinæ) sit identificata cum malitia morali peccati; siquidem Deus talem bonitatem neque determinat, neque ponit quidquam ex intentione causativum talis bonitatis, quæ moraliter & identicè sit malitia moralis peccaminosa; Ad 8. denique in primis aliqui Authores negant Minorem, quod scilicet Deus prædefiniat bona opera, suffragante S. Damasceno L. 2. fidei orthodoxæ c. 30 ubi ait: *omnia quidem Deus prænovit, non omnia tamen præfinit; prænovit enim ea, quæ in nostra sunt potestate, non tamen ea præfinit.* Alij concessâ Minore, negant Majorem, eò quod decretum DEI præcelleret conditionata Præscientia nostri consensûs, quæ conditionata futuritio tollit necessitatem antecedentem; prius enim, quàm Deus absolute aliquid prædefiniat, prævidet, quid futurum sit positâ tali vel tali conditione v. g. si darem huic homini talem cogitationem, tunc me diligeret &c. Postea decernit efficaciter, volo ut me amet, & consequenter volo illi dare talem cogitationem, cui prævidi liberè eum coöperaturum. Ad S. Damascenum supra allegatum dici potest, eum loqui de præfinitione ante scientiam conditionatam. Nam præfinitiones ab eò non absolute negari, constat ex orat. 1. de Imaginibus, ubi hæc habet: *omnia enim ab illo Præfinita, & sine ulla*

*commutatione futura in ejus consilio non aliter antequam fierent, erant expressa, quam si quis velit dominum edificare, prius imaginem ac formam ipsius in anima fingit cogitationeque complectitur.* Videantur, quæ diximus Controvers. 59. §. 9.

XXXIV. Ex hæcenus dictis, & probationibus tam S. Scripturæ quàm rationis rejectis luculenter apparet, eum, quem diximus, errorem, quod scilicet Deus sit causa & Author peccati, esse profusum impium & blasphemum, majorémque, quàm aures Christianæ ferre possint? quid enim restat amplius? nihil nisi ut dicatur Deus non esse Deus. Unde ipsemet Amelius Tom. 4. fol. 18 Gerhard. L. 2. part. 3. fol. 475. alijque Sectarij detestantur impiam hanc opinionem, & negant ac pernegant, eam se tenere & docere, nec nisi per gravem calumniam à Papistis eandem sibi imputari. Verum est, illos in terminis non dicere, Deum esse causam & Authorem peccati, attamen talia asserere, atque in probationem adducere, ex quibus prædictus error legitime & manifestè deducitur. Nam dicunt, Deum impellere & cogere alium ad opus, quodcumque malum faciendum: efficaciter procurare, ut aliquis peccet: uti impio, dum peccat, tanquam instrumento: jubere Satanæ & impijs, ut maleficia concipiant &c. Ex his Zwinglij Calvinij, Bezae assertis sic concludimus. Quicumque efficaciter procurat, ut alter peccet: utitur impio, dum peccat, tanquam instrumento: jubet Satanæ & impijs, ut maleficia concipiant: impellit ac cogit alium ad opus quodcumque etiam malum faciendum. Quicumque, inquam, hoc præstat, ille est causa & author peccati. Atqui juxta Zwinglij, Calvinij &c. DEUS hæc omnia facit, ut supra ostendimus ex ipsorum verbis, & liquet ex probationibus illorum; quas itidem supra adduxerunt. Ergo DEUS juxta eosdem est causa & Author peccati. Quæ est extrema impietas & blasphemia.

XXXV. Amelius omnibus modis à tam horrenda improbitate Calvinum suum defendere nititur. Dicit itaque 1. Calvinistas non aliter loqui, ac sentire, quàm Brodwardinum Doctorè profundum, qui ante aliquot sæcula scripsit contra Pelagium L. 1. c. 33. item Thomistas; quorum doctrina apud Pontificios est approbata. Dicit secundò efficacem volitionem, usurpationem instrumenti, procurationem &c. esse tantum ordinationis & gubernationis existentiam rei inferentis; non autem effectiois rem vi suâ producentis. Dicit 3. phrases istas imperandi, impellendi, & cogendi ad maleficia raro adhiberi, nec unquam in propria & rigorosâ significatione; in quem etiam modum Gerhardus Lutherum suum explicat, & propugnat.

XXXVI. Sed hæc frivola sunt, & merissima effugia. Nam in primis nemo ex Catholicis loquitur ac sentit, sicut Calvinistæ. Quis unus ex omnibus docet, Deum impellere, & cogere ad malum: efficaciter procurare, ut aliquis peccet &c. omnes etiam hoc ipso quòd sint boni Catholici, consentiunt Ecclesiæ, ex cujus mente verba & doctrinas suas intelligi volunt. Thomas Brandwardinus Anglus communiter reprobatur à Catholicis, idque propterea, quòd Calvino satis præluserit in argumento de gratia, libero arbitrio, & decreto divino absoluto &c.; quamvis verba illius facile etiam in meliorem sensum trahi possint. Thomistæ, quibuscunque verbis utantur, aliud non volunt intel-

ligi, quàm DEUM malas etiã volitiones infallibiliter præordinare ad finem suum salvã omni arbitrij creatilibetate, simulque suã doctrinã Sanctã Romanã Ecclesiã humillimè subjiciunt, Ejus judicio statuti, quicquid ipsa circa sanã doctrinã & Sanctã Fidei mysteria statuerit. Deinde ex mente Adversariorum DEUS non solum permittit, atque ordinat, & sic utitur impijs, sed etiã determinatè imperat, ac necessitatè ad actum indispensabiliter malum; esto ulteriozem aliquẽ finem bonum intendat; quis autem sani cerebri dubitare possit, quin talis actio sit flagitiosa Deoquẽ indigna? aut fingi potest efficacior procuratio criminis, quàm velle, prædefinire, intendere, imperare, necessitare physicè ad actum, cui indispensabiliter annexa sit culpa? Denique si omnia improprie intelligenda vellet Amelius, rectius dixisset; hanc non esse amplius sententiã modernorum Calvinistarum & Lutherãnorum, sed Calvini, quàm verbis clarioribus expressit cum Zwinglio, & Beza, quàm ut ullã tergiversatione eludi queat. Et qui nihil blasphemiarum apud hoshærefiarchas odoratur, obesse nimium naris est.



## SACRAMENTA.

**H**æc est hæreticorum in erroribus suis instabilitas, ut non solum à vera Romano-Catholica Ecclesiã doctrinã discedant, sed inter se etiã semper discedant ex alijs in alios errores delabentes. Et quamvis hanc animi levitatem in omnibus fidei dogmatibus, quos in Controversiam trahunt, satis clarè ostendant, in Sacramento tamen eam vel maxime præduunt, ubi nec in nomine, nec in Essentia, nec in virtute, nec in effectu, nec in numero &c. Conveniunt vel cum Romana Ecclesiã, vel inter se ipsos, suum quicquid placitum sequentes; ut planè Propheticum illud Jsaia 19. v. 2. in eis impleatur: concurrere faciam Aegyptios adversus Aegyptios: & pugnabit vir contra fratrem suum, & vir contra amicum suum, & civitas adversus civitatem, & regnum ad versus regnum. Contra apud Romano-Catholicos in Fidei articulis una est omnium sententiã ac doctrinã, idẽque semper animisensus. Constabunt hæc ex sequentibus Controversijs de Sacramento, ad quã post bona opera, tanquam isto unũ subsidia, progredimur pertractanda, atque eadem more nostro in plures Controversias itã disperniemus, ut in singulis primo semper doctrinã catholicã proponamus, tum ex ista hæreticorum errores resellamus, continuato, quem cepimus, illarum numero.



## CONTROVERS. LXII.

### DE ESSENTIA SACRAMENTORUM

**N**omen Sacramenti apud Latinos sumitur pro juramento. In Sacra Scriptura accipitur subinde pro mysterio seu re occultã ac secreta maxime sancta aut in Similitudinem sacrarum occultanda: subinde pro signo rei occultæ præsertim sacra. Ex communi Ecclesiã, San-

ctorum Patrum, & Theologorum usu magis contrahitur & determinatur ad certã quãdam & Spirituãlia signa sensibilia rei sacra; ut proinde nomen Sacramenti hodie per antonomasiam non pro quocunque signo rei, sed pro certis tantum accipitur, nempe pro ijs, quã rem sacra homines Sanctificantem denotant modo infra explicando. De re loquendo; vera ac propria Sacramenta in utraque lege fuisse, indubitatum est, quia Concilia & Patres absolute affirmant; ea in Antiqua etiã Lege extitisse. Videndum igitur, quomodo se habeant.

### PARS PRIOR

### DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

**I.** *Doctrina prima.* Sacramentum in communi est cæremonia sacra, sensibilis, stabilis, in pignus gratiã instituta. Sumitur hæc definitio ex D. Thoma 1. 2. q. 101. art. 4. Et q. 102. art. 5. ubi eam haud obscure tradit. Eadem est ex mente cæterorum Theologorum, non tantum reipsã, quàm verbis dissentientium. Expresse illam tradit Arriaga de Sacramentis in communi Disp. 1. num. 44. Explicatur & dicitur 1. *Cæremonia sacra*; nam omnes homines nomine Sacramenti intelligunt aliquod signum, cujus significatio vel institutio proveniat a DEO: aliquo modo tamen debet exerceri vel recipi in homine ipso, atque idcirco sit cæremonia, quã homo ipso ejus usu aliquo modo scilicet exteriori sanctificetur. Duplex autem est sanctitas, quã tribuunt Sacramenta; una interna & perfecta per infusã gratiam sanctificantem: altera externa & imperfecta, nempe legalis, quã olim Judæi liberabantur à nonnullis immunditijs, & quasi legalibus irregularitatibus: nec consistebat in dono supernaturali animæ infuso, sicuti gratia justificans, sed tantum erat immunitas quãdam ab omni legali impedimento cultus divini, ut homo censeretur dignus communionem Fidelium in publicis precibus & sacrificijs &c. Dicitur 2. *sensibilis*; quam particulam omnes Theologi admittunt cum Trident. Sess. 13. c. 3. ubi Sacramenta dicuntur *invisibilis gratiã forma visibilis*, hoc est, sensibilis, posito scilicet præcipuo sensu pro quolibet alio; cum enim Respub. humana non nisi sensibilibus gubernetur, oportuit pro ipsa cæremoniam hanc esse externã ac sensibilem. Dicitur 3. *stabilis*; loquimur enim hic de Sacramentis legalibus pro tota aliqua communitate institutis, qualia de facto probabiliter fuerunt omnia etiã legis veteris. Quodsi abstrahamus à Sacramentis legalibus & non legalibus, potest æquè Sacramentum pro uno & altero homine & usu institui; ac sacrificium.

**II.** Dicitur 4. *in pignus gratiã.* Nam omne Sacramentum etiã Veteris Legis signum est gratiã sanctificantis: item aliquã Sanctitatem reipsã causat. Prius sumitur ex Concilio Florentino in decreto unionis, ubi hæc habentur: *Sacramenta novæ legi multã differunt à Sacramentis antiquæ legi; ista enim nec causant gratiam, sed tantum per Passionem Christi dandã figurant: illa vero nostra & continent gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferunt.* Posteriùs inde habetur, quod omne

Aurora